IN COMMENTARIUM
A JUSTINO FEBRONIO
IN SUAM RETRACTATIONEM
EDITUM
ANIMADVERSIONES
H. G. C. S. C.

DEIN
ANIMADVERSIONES
RECENS ADDITAE.



ROMAE. PENES LAZZARINIOS.
A. MDCCLXXXXII.

Superiorum Permissu.

MONITUM

Praeclara Justini Febronii Retractatio *quum primùm edita in lucem magnâ continuo famae celebritate inclaruisset, dubitandum non erat, quin pro multâ ingeniorum aetatis hujusce, studiorumve dissimilitudine in varia dissidentium inter se hominum judicia, variosque sermones incurreret. Omnes certe, quotquot fuere toto Orbe, unitatis, ac pacis Ecclesiae Cultores mirificâ gratulatione, ac plausu pulcherrimum Viri factum prosequuti sunt, qui pristinis turbulentis consiliis, erroribusque depositis justum, et pium, nec Religioni minùs, quam sibi gloriosum de se ipse triumphum reportasset. Alii contra, nec pauci, quibus insitum haeret, penitusque defixum Hierarchici Ordinis, ac Principatûs odium, acerbissime tulerunt, partium suarum patrocinium desertum ab eo fuisse, quo potissimum Duce susceptas jam dudum, sed tum acriùs renovatas cum Romano Pontificatu inimicitias majore animorum contentione gerebant: Isti nimirum hominis levitatem, et inconstantiam vehementiùs accusare coeperunt, qui sive blanditiis delinitus, sive minis territus de instituto cursu turpiter dimoveri se passus esset; quamque animo alte retinebat fixam, certamque sententiam, mendaci scripto ejurare, fidem, ac socios prodere non erubuisset. His longe, lateque dissipatis rumoribus permotus Febronius commentarium edere properavit, quo consilii sui rationem planiùs exprimeret, simulque inustam sibi ficti animi labem, ac notam depelleret.*

Opus vix editum curavit ad Summum Pontificem mature cum litteris perferendum, quibus et librum, et se se totum Apostolicae Sedis judicio, ac potestati subjicere cum amplissimâ obsequentissimi animi testatione profitetur. Aequius quidem

Novus itaque in Commentarium Febronii conscribendus fuit Commentarius: quod opus paucis mensibus absolutum non ante ego sum ausus deferre ad Pontificem, quam fuisset a praestantibus quibusdam Viris recognitum, quos inter liceat mihi honoris caussâ nominare inclytae memoriae Cardinalem Boschium, cujus de hoc opusculo judicium aliquod apud Pontificem factum esse affirmare possum; quale illud fuerit reticere debeo, ne videar Operi velle tribuere, quod propensae in me praestantissimi Viri voluntati acceptum magnâ ex parte refero. Atque tum quidem velut praevii publici responsi loco ad publicum Febronii Commentarium Opusculum hoc ipsum instar familiaris alloquii privati cum privato disserentis protinus edendum Pontifex decreverat: quum ecce de improviso novum quid natum est, de quo nil attinet hoc loco dicere, quod, ne qua inde gravior offensio pro temporum conditione suboriretur, consultius fore persuasit paratam editionem in aliud tempus differre. Interea Pontifex codicem penes se retinuit manuscriptum, quem nunc tandem sublatâ caussâ, quae moram injecerat, e re censuit immutatum prorsus, ut primùm sibi oblatus est, prodire in lucem. Quumque multa multis ex partibus longo illo intervallo effluxerint, quae praeverti cogitatione non poterant; si quae loca occurrerent, quae alia viderentur additamenta postulare, ea jussit ad calcem rejici, ubi ab Operis contextu separata reperientur. Litteras porro, quas Febronianâ larvâ depositâ, suâque plenâ dignitatis repetitâ personâ Episcopus Myriophitanus suo nomine, suâque manu scripsit, voluit item SSmus Pontifex typis vulgatas in medium proferri, quibus patefactis vel inviti cogantur obmutescere, qui dictitare non desinunt, malis artibus quaesitum, aut vi extortum pium illud justae, ac debitae Retractationis docu-

documentum, quod suâ sponte, consultôque a se datum Auctor ipse professus sit, idque quum alias, tum et iis litteris, quas post suum clandestinis typis emissum Commentarium non provocatus, non lacessitus consilio, ac voluntate suâ ad Pontificem dedit, Pontifex nec suspicans accepit. Legatur Epistola, conticescat invidia.

EXEM-

EXEMPLUM EPISTOLAE

Quam Episcopus Myriophitanus Jo. Nicolaus de Hontheim suo nomine, suâque manu scriptam dedit

AD SS. D. N. PIUM SEXTUM

Unâ cum subjecto Commentario Francofurti ad Moenum edito ex Officinâ Esslingerianâ MDCCLXXXI.

Appositâ Inscriptione, quâ suâ etiam manu se operis Auctorem profitetur.

Quod SANCTITAS TUA a me postulat, quod praestandum suscepi, id pro modulo mearum per octoginta, et quod excurrit, annorum aetatem, et continuos labores finitarum ingenii, et corporis virium nunc exequor: ut quos olim sub nomine Justini Febronii in diminutionem Sacrorum Summae Sedis jurium conscripsi libros, illos eodem nomine redarguam, refellam, et Supremas ejusdem Sanctae Sedis dotes ad aedificationem eorum, quibus priora mea opera offendiculo esse potuerunt, novo Commentario explanem, atque stabiliam.

Non putavi id luculentiûs abs me praestari posse, quam si omnes, et singulas in authentico meae Retractationis documento contentas TUAE SANCTITATI probatas assertiones argumentis e Sacrâ Scripturâ, Conciliis, ac Patribus depromtis confirmem, et congruis Commentariis illustrem, eâ tamen ratione, ut insimul firma stent jura Episcoporum, Imperantium, et Nationum, nec non privilegia, et tot laudabiles Consuetudines particularium Ecclesiarum, quae omnia SANCTITATIS TUAE Praedecessores toties immota esse debere, sanxerunt.

Ex quo grave munus Suffraganei in amplissimâ hâc Archi-Dioecesi suscepi, singularis mihi cura demandata est de magnâ illâ portione Trevirensium Dioecesanorum, qui vivunt sub Dominio, et Civilibus legibus Regis Christianissimi, uti et de non minore eorum numero, qui in Ducatu Luxemburgensi parent Augustae Domui Austriacae, et Constitutionibus Belgicis. Minime ignorat SANCTITAS TUA, in administratione, et exequutione Vicarialis hujus Officii, quod a triginta tribus annis sub beneplacito, directione, et celsissimis auspiciis trium Archiepiscoporum hactenus gessi, singulorum horum locorum mores, et Saecularium Principum edicta mearum actionum secundariam regulam esse debere; eâ neglectâ omnia turbari: influunt illa in Disciplinam Ecclesiae, quamvis eam in substantialibus non mutent. Porro quemadmodum in exercitio Sacri hujus Ministerii non iisdem ubilibet usibus, ac moribus, vel in unâ hâc Archidioe-

dioecesi conformare me aut possum, aut debeo, uti nec quicumque alius eodem in munere mihi Successor aut debebit, aut poterit: ita prudentiae esse duxi in hocce scripto iis potissimum Ecclesiasticis legibus me alligare, quae jam dictis, immo omnibus Catholicis Nationibus nobiscum communes sunt.

Nihil equidem impensiùs cupio, BEATISSIME PATER, quam ut praesens Commentarius (postrema certe mea litteraria opera) tamquam testamentum, et suprema mea voluntas TUAE SANCTITATI, ad cujus sacratos pedes illum depono, haud displiceat. Hoc scio, nihil aliud in animo meo, nihil amplius in votis meis esse, quam ut omnia mea TUAE SANCTITATI probentur. Eâ intentione, eoque fine (quum sibi nemo satis sapiat) quâ maxime valeo demissione supplico, ut, si quae eodem in libello fortasse sint, quae perspicacissimos oculos Tuos, aut excelsum animum Tuum offendant, ea a me non sinas ignorari, ut in supplemento, quod tunc in modum Codicilli libens adjiciam, illa valeam emendare.

Illud interim mihi solatio esse potest, et debet, quod, etsi alium forte ex brevi hoc Commentario fructum Ecclesia non referat, illud saltem omnes ex eo intelligant, de quo non pauci etiam editis scriptis dubitare aut praesumserunt, aut affectarunt, videlicet solemnem illum actum Revocationis, quem SANCTITAS TUA in die Natalis Domini Anni MDCCLXXVIII. in Secreto Consistorio cum Cardinalium Collegio communicavit, meum esse, non fictum, non extortum, sed liberum, quinimmo deliberatum.

Finaliter ante Sacratos pedes Tuos, quos reverenter deosculor, prostratus Apostolicam Benedictionem humillime expeto debitâ cum submissione, et filialis obedientiae contestatione emoriens

SANCTITATIS TUAE

Humillimus, et Obedientissimus Filius

Joan. Nicolaus ab Hontheim Episcopus Myriophitanus
Suffraganeus Trevirensis manu propriâ.

PROŒ-

PROŒMIUM

Quibus pridem litteris praeclarae suae, bonisque omnibus probatissimae Retractationis Acta Myriophitanus Episcopus cum spectatissimo Clero, Populoque Trevirensi communicavit, eisdem ingenue fassus est, libris iis, quos plures sub ficto Justini Febronii nomine paucos ante annos edidit, *novitatis cupidine inductum se in nonnullas assertiones incidisse, quae et Apostolicae Sedis jura, et reverentiam Supremis hujusce Praesulibus debitam non parum laederent*: (a) „ Agnovit, Febronianis istis „ assertionibus obstare quorumdam Patrum Sententias, seu di- „ cta, Conciliorum in disciplinaribus Decreta; potissimum ve- „ ro receptum a Saeculis Ecclesiae usum, atque disciplinam, „ quibus contraire nemo praesumit, quin de Religione periclite- „ tur, et exitialium in Ecclesiâ turbarum Auctor existat. „ Tum confirmavit, libenti, promtoque animo Pontifici libros eos damnanti sese adjungere, sibique propositum esse, quod reliquum esset aetatis, quoad vires suppeterent, in id Auctore ipso Pontifice conferre „ ut genuina primae Sedis jura exponeret, et „ pro viribus defenderet non quidem *palponum more*, quos suis „ lucubrationibus eidem Sanctae Sedi, quin et Ecclesiae ipsi plu- „ rimum nocuisse compertum est, sed solidis, verisque monu- „ mentis, quorum auctoritas in omnibus Ecclesiis agnoscitur. „

Itaque Febronius, ut promissa exsolvere videretur, seque suae Retractationis interpretem, ac vindicem praestaret, commentarium in eam scripsit, *nullâque* (nescio quo consilio) *praeviâ superiorum censurâ* typis commisit. Pollicetur, se hoc in opere defensorem futurum *nonnullarum primae Sedis praerogativarum, quarum impugnator extiterat* „ intactis tamen juribus „ Episcoporum, Principum, et Catholicarum Nationum, quae „ optimi Pontifices semper immota esse sanctissime sanxerunt. „

Nihil porro ad hujus instituti sui rationem accommodatius fore censuit, quam si Commentarii contextum ad ordinem, et ad ipsa etiam verba Retractationis exigeret. Totam itaque Retra-

 cta-

(a) Verba haec sunt *Myriophitani Praesulis cû in Epist. p. 246. Minime tamen diffitemur* . . . .

ctationem in 38. Positiones distribuit, singulisque Positionibus peculiarem cuique suam explanationem appinxit adeo, ut expositiones extent velut Capita totidem, seu argumenta explanationum, ex quibus integer Commentarius conflatur. Extremo porro capite (pag. 240.) iterum confirmat „ hoc suo Commentario, quem Auctoribus summis in Ecclesiâ Potestatibus a se „ susceptum, quemque illarum judicio sine retentione submitte- „ re se profitetur, sibi propositum fuisse mediam tenere viam, „ quâ semoto omni partium studio, cuique, quod suum est, tri- „ bueretur *duce veritate*, *et Canone*. „

Neque hâc tantum extremâ sui libri parte obsequentem suum erga summas in Ecclesiâ Potestates animum declaravit; sed expressius etiam, et clarius privatis manu suâ litteris, quas ad Summum Pontificem PIUM VI. (quem D. O. M. Ecclesiae suae diutissime servet incolumem) unâ cum suo Commentario perferendas curavit, quibus testatur, nil se impensius cupere, quam ut id scriptum, in quod velut testamentum ultimam mentis suae sententiam quodam modo redegit, atque ad Sanctissimi Patris Pedes deponit, haud ei displiceat: Nihil se habere magis in votis, quam ut sua omnia Sanctitati Suae probentur; ob eamque rem, quandoquidem nemo sibi satis sapiat, ei quam maximâ valet demissione supplicare, ut, si quae forte in eo libello sunt, quae perspicacissimos ejus oculos, excelsumve animum offendant, illa non sinat ab ipso ignorari, ut in supplemento, quod libenter est adjecturus, quasi per Codicillos ea valeat emendare: interea id sibi solatio esse, quod, etsi ex hoc brevi Commentariolo nullum Ecclesia fructum sit perceptura, istud saltem omnes intelligant, de quo non pauci dubitare praesumserunt, aut affectarunt, solemnem illum Retractationis actum, quem Sanctitas Sua cum Cardinalium Collegio communicavit, *suum esse*, *non fictum*, *non extortum*, *sed liberum*, *quinimmo deliberatum*.

His ego cognitis librum eo animo perlegendum accepi, ut de toto scripto ex aequo, et bono judicandum, in singulis voculis aucupandis non morosius insistendum; si quid obscurius, duriusve dictum occurreret, commodiore, quâ fieri posset, interpretatione molliendum, atque in saniorem partem flectendum existimarem.

Et quidem nonnulla sunt, quae in hâc novâ mentis suae, ac sen-

sententiae declaratione Febronio gratulari non immerito possimus: Quod Claves non jam Ecclesiae, prout hâc voce Fidelium Coetus intelligitur, sed Apostolis, eorumque Successoribus datas expresse agnoscat: His Clavibus veram regiminis auctoritatem contineri triplici potestate constantem, Legislatoriâ, Judiciariâ, et Coërcitivâ: Hanc potestatem Apostolis a Christo sic traditam, ab eisdemque sic administratam, ut in ferendis legibus, ac decretis ad Fidem, ad Mores, ad Disciplinam pertinentibus, in Successorum suorum ordinationibus, ac deputationibus, nimirum in iis, quos ad Sacra Munia idoneos judicarent, vocandis, legendis, et cooptandis; in coërcendis contumacibus, censurisque infligendis nulli esset alteri Potestati obnoxia; Hanc ipsam potestatem eodem jure in Apostolorum Successores migrasse in aevum omne prorogandam: Primatum non ordinis, inspectionis, ac directionis tantum esse, sed verae auctoritatis, et jurisdictionis: Hunc perpetuum esse: In Petri Successores Romanos Pontifices jure Divino transire: Romanum Pontificem Supremum esse Judicem controversiarum in rebus Fidei, ac Morum, nec fieri posse, ut a verâ Fide aberret Corpus Episcoporum Capiti suo **Romano Pontifici** adhaerens: Ecclesiam a Christo habere auctoritatem judicandi de sensu, seu Doctrinâ propositionum, librorum, et Auctorum, nec non Fideles cogendi ad subscribendum suae sententiae: Concilio Florentino Æcumenici nomen deberi; Tridentinum porro etiam in rebus disciplinae liberum fuisse.

Haec ille recte, ac laudabiliter. Atque utinam optima haec sentiendi ratio totius operis continuationi sic moderata esset, ut prima mediis, media extremis cohaererent, nec ea in Commentarium irrepsisset faeda veri, falsique permistio, quae ubicumque se prodit; totumque corpus teste Augustino (*L. 2. Quaest. Evangelic. c.* 40.) velut quodam colore Leprae inficit, ac maculat. Verum quod non inimice, non contumeliose, sed dolenter cogor dicere, non eam prae se fert Febronius *Germanam sinceritatem*, quam olim pollicitus fuerat: Quin potius adscitis undique distinctionum, exceptionumve involucris in tot ambages se conjicit, ut diverticula de industriâ quaesisse videatur, quibus elaberetur, dictamque sibi suis Positionibus legem non tam tueretur, aut servaret, quam eluderet, seu verius oppugnaret.

Quâ in re tamen unum occurrit, ac sese offert multâ sane, attentissimâque consideratione dignum, quod Positiones ipsae, quae explorata Ecclesiae, Pontificumve jura simpliciter, aperteque referunt, permultis in hâc ipsâ Febronianâ lucubratione, locupletissimisque Sacrarum Litterarum, Conciliorum, Patrumve testimoniis munitae cernuntur: Exceptionibus vero, quas Positionibus suis Febronius affingit, seu potius opponit, nulla Sanctorum auctoritas, vox nulla suffragetur, sed aut propriis Febronii cogitatis, aut unius, alteriusve Scriptoris, nec aetatis admodum remotae suffragio nitantur: Ut proinde, si suis in Positionibus statuendis hanc ille sibi laudem merito tribuere potuit, se, quae scriberet, *duce veritate*, & *Canone* scripsisse, non idem de adjectis illis exceptionibus praedicare valeat, quae quamtum recedunt a germanâ, et obviâ Positionis cujusque vi, ac sententiâ, tantumdem ostendunt, illum a *veritate*, & *Canone* descivisse.

In eâ multiplici capitum varietate, in quibus Febronii constantia merito desideratur, minus haerendum censui iis persequendis, quae ex notissimo *Defensionis* libro, qui perillustri *Bossuetio* passim adscribitur, Febronius decerpit. In quo tamen, si aequum se aestimatorem probare vellet, non ita se uni parti addictum ostenderet, ut alterius momenta fere praeteriret. De quâ contentione si nonnulla disperse attigimus, non eo consilio id a nobis factum est, quasi disceptationem ex professo cum Defensionis Auctore suscipere velimus, cui muneri non ita pridem est ab aliis cumulate satisfactum; sed ne in eâ causâ, in quâ doctissimos inter Viros hactenus certatum est, quisquam existimare posset, uni Febronio contigisse, ut triumphum ageret, juriumque Pontificiorum Defensores silere coëgisset: scilicet alia sunt (quod magnopere deflendum) in quibus positos a Bossuetio fines transire non est veritus, eoque progredi, ut quae jura vel ipse Fleurius, ejusque Defensor velut rata jam, fixaque habuerunt, ea ipse in discrimen adducere interdum non dubitaverit.

Multa hujus generis, sive quae ad Ecclesiasticam Potestatem generatim, sive quae speciatim ad Primatum pertinent, latius in subjectis animadversionibus exponentur. Pauca, et strictim hoc loco non abs re fuerit velut per exemplum proponere.

Quod Ecclesiae disciplinae generali Concilio probatae, et per

per omnes Ecclesias receptae Laicus Magistratus adversari haud possit: quin immo Seculares Principes, quos ut Catholicos *Deus Sanctae Fidei, Ecclesiaeque Protectores esse voluit*, (*Trid. Sess.* 25. *c.* 20. de refor.) praesidio eam suo tutari, ac munire debeant, id quidem perfacile fuit Febronio plurimis Canonum statutis, Patrumque sententiis comprobare. Quod vero subjicit, *non videre se*, cur, quod circa ejusmodi disciplinam Laico Magistratui non licet, quatenus Tutor est Canonum, non eidem liceat, quatenus Regni Tutor est, nullum profert Febronius Canonem, quo singularem hanc suam inscientiam, haesitationemque excusare valeat. Nec sane mos fuit gravissimis Patribus Canonum Conditoribus sic verbis ludere, ut quam potestatem de rebus Ecclesiæ cognoscendis, ac moderandis nullam in Laico Magistratu nec praesidii jure agnoscerent, eam ipsam per unam vocabuli commutationem sub aliâ Personâ eidem ultro deferrent.

Quod spiritalis potestas in decernendis rebus ad Fidem, Mores, ac Disciplinam pertinentibus nulli sit alteri potestati obnoxia, in eo etiam exploratis Patrum auctoritatibus tueri se potuit Febronius: Non ita porro in exceptione, quâ spiritalis hujusce potestatis jura coërcere quodam modo videtur ad ea, quae ille vocat *civiliter indifferentia*. Sane non eam Apostoli cautionem agnoverunt, qui tam multa de cultu externo, de conjugiis ineundis, de censurarum inflictione, et effectis, de Ministrorum delectu decernere non dubitarunt, quae, licet ad Febronianam distinctionem relata spectari possent veluti non omnino *civiliter indifferentia*, non ideo se in Laicae Potestatis jura invadere putabant, quod ea ipsa nullâ petitâ veniâ decernerent, Discipulisque sancte, ac fideliter servanda edicerent. Reverâ cultum externum ad Religionis intimam constitutionem pertinere nemo Catholicus dubitat: Aliunde quaecumque in Republicâ exterius geruntur, ea semper, prout quisque volet, pro non civiliter indifferentibus traducere poterit. Nullus ergo erit in Religione ritus tam sacer, nulla tam religiosa functio, nullum Sacerdotale Munus, et officium, de quibus ob eam caussam, quod externam actionem, ac velut materiam requirant, nequeat Secularis Potestas decernere, suaeque cognitioni, ac judicio vindicare. Sic Potestas illa, quam Febronius, quatenus spiritalis est, Seculari Imperio subducere videtur, eam ipsam suae distinctionis ope, quatenus corporali

li actione, et corporeâ in materiâ versatur, in Seculare arbitrium de integro rejicit, eidemque prorsus addicit.

Romanorum Pontificum Decretales Epistolas reverenter suscipiendas, et sancte custodiendas, Positio est Febronii *duce Canone* constituta: Sed quod Pontificiæ Decretales, etiam dum urgent exequutionem Canonum, singularis cujusque Antistitis judicio subjectae esse debeant, qui de illis recipiendis, aut repudiandis statuat, prout eas convenire, necne Suae Dioecesi judicaverit, id vero longe abest a Canonum Sententiâ. Equidem quod lex loco, ac tempori congruere debeat; quod Episcopus, quae Gregi suo congruunt prae caeteris dignoscere valeat; quod, si quid incommodi ex lege metuatur, Episcopi praesertim partes sint ad superiorem Potestatem referre, id ordinati, rectique regiminis ratio postulat, in eoque libenter omnes acquiescunt: At quod jus, fasque sit cuique Antistiti de lege Pontificiâ recipiendâ, vel repudiandâ suo arbitratu decernere, nullo unquam satis apto Ecclesiae disciplinae monumento comprobari poterit. Certe quum Tridentina Synodus Decreta sua ederet, eaque pro summâ, quâ pollebat Potestate, praeeunte Pontifice sancte servanda Episcopis praescriberet; dum loca illa expresse notaret, quibus aliquam indulgendae veniae facultatem eisdem faceret, num forte suspicari poterat, fore aliquando, qui singulis Episcopis id juris tribuerent, ut caetera quoque Decreta judicio suo subjicerent, deque illis, prout sibi profutura, necne viderentur, recipiendis, vel repudiandis decernerent? Quin potius discere potuit Febronius ex Barthelio, cujus ille testimonium profert *pag.* 34., quam faeda suboritura esset in Ecclesiâ Fidei, ac Disciplinae perversio, nisi Episcoporum multitudo per Orbem diffusa Supremi unius Capitis efficaci auctoritate in ordine, et officio contineretur: Qui autem contineri poterunt parendi necessitate sublatâ, seu, quod in idem recidit, uniuscujusque judicio, et arbitrio permissâ?

Sed in eam fraudem ex hoc inductus fuisse videtur Febronius, quod singulos Episcopos prorsus velit cum *indefinitâ* ligandi, atque solvendi potestate suis in Dioecesibus positos esse. Quam tamen pôtestatem si nulli alteri superiori potestati obnoxiam facit, pugnat ille cum Catholico Dogmate: Sin facit obnoxiam, non ex eâ consequetur jus illud, quod singulis Episcopis tribuit decernendi,

di, an, et quousque superioris Potestatis Decreta recipienda sint, an potius repudianda.

His adde, si placet, quod statuit de Civilis Potestatis assensu praestando, ut Decreta ipsa Fidei, ac Morum vim legis publicae obtineant, et exequutioni mandari valeant; Quod negatam Dogmatico Sanctae Sedis, ac universalis Ecclesiae Decreto debitam obedientiam ad merum caput refert violatae disciplinae; Quod insinuare non veretur, primos Reservationum Auctores legitimo forte jure caruisse.

Ex his, quae strictim attigimus suis quaeque locis distinctius enucleanda, non obscure intelligi potest, contextum sic esse Commentarium istum Febronianum, ut sanorum verborum forma, quam Positiones plerumque prae se ferunt, haud raro quoque per multiplices distinctionum, exceptionumve anfractus in alienum, adversumque sensum detorqueatur. Haec profectò nec Romano Pontifici probari possunt, cujus est potissimum Ecclesiasticae libertatis, suique Primatûs jura Christi ordinatione constituta tueri, nec cuiquam Episcopo de totâ Ecclesiasticae Hierarchiae constitutione, deque suae Dignitatis amplitudine recte sentienti.

Repetat Febronius, quam sancte, quam severe, ac diligenter Tridentina Synodus hortando, monendo, praecipiendo Ecclesiasticae disciplinae tutelam, debitamque Summorum Pontificum, Conciliorumve Constitutionibus, ac Decretis obedientiam quum Fidelibus omnibus, tum et ipsis Magistratibus enixe commendaverit. Ponat sibi ante oculos, si quis in eo Conventu Antistes auditâ illâ Patrum Sententiâ prosilire in medium veritus non esset, ac dicere, sibi eam placere, quoad Magistratus Tutorem Canonum se gerat; non item, quandocumque aliam Tutoris Regni Personam assumat: quis non sentiat, quam graviter Sanctissimi Patres captionis non ante auditae novitate perculsi ludibrio se, ac despectui habitos esse doluissent? Quâ mente, quo vultu absonam vocem, ne quid asperius dicam, excepturi, et ex ore praesertim Antistitis deprecaturi fuissent?

Habet itaque Febronius, quae referat in Codicillos, quorum tamen nec longi, nec molesti laboris futura est confectio, si quidem eam praestare vult, quam pollicitus est, *Germanam sinceritatem*. Referat se ille ad suas Positiones, simulque ad Canonum Decreta, Patrumque Sententias, quibus vel in hocce suo Com-

Commentario fulciuntur: Circuitionum fallacias aut a se excogitatas, aut a privatis, nulliusque in Ecclesiâ auctoritatis Scriptoribus petitas, quae duplicis cordis, et linguae suspicionem ingerunt, prorsus abjiciat.

Quamquam Febronio facilis, et promta patebat via, quae se ab istiusmodi Codicillorum curâ omni, ac labore levaret, qui, si testamentum hoc suum ante Pontifici obtulisset, quam id typis in vulgus edendum committeret, ab amantissimo Patre clementer, ac privatim admonitus sic testamentum ille suum componere potuisset, quod nullâ Codicillorum emendatione indigeret. Nec vero quidquam erat caussae, cur eum pigere debuerit praeclarum imitari factum Augustini, qui quo tempore meritâ sapientiae laude maxime floreret, non indignum se duxit, immo antiquius nil habuit, quam ut scripta sua, quae contra duas Epistolas Pelagianorum (*l.* 1. *c.* 1. *n.* 1.) paraverat, ad Bonifacium I. *examinanda*; *et*, *ubi forsitan aliquid displicuisset*, *emendanda dirigeret*. Adeo illi perspectum erat, quid ei deberetur, qui caeteris Episcopis *altius praesideret*. Quod etiam potiori jure expectandum erat a Febronio, qui jam per sese expertus fuerat eximium illum Pii VI., plenumque *paternae dilectionis affectum*, quem de Bonifacio I. aliorum praedicatione Augustinus acceperat. Nunc quum debitum istud omni jure officium Febronius neglexerit; quum opusculum suum *nullâ praeviâ Censurâ* praeter jus fasque publici juris fecerit; Pontificemque rogarit, ne, si quid in eo lapsus esset, id ipsum ignorare sineret, unusquisque profecto intelliget, non amplius integrum esse Pontifici rem totam, prout aliunde Febronii inconstantia suadere videbatur, silentio praeterire; sed ne hoc ipsum *tacere* (*Caelestinus I. Epist. ad Episcopos Galliae*) idem videretur, atque *connivere*, curandum fuisse, ut quae Febronius non sine reprehensione notanda typis edere in vulgus praesumsit, ea quoque typis, ac palam notarentur.

Recogitet aetatis suae, ac senectutis (2. *Machab. c.* 6.) eminentiam dignam, et ingenitae nobilitatis canitiem; quam parum illi aetati dignum sit fingere; insidiosae, fictae reconciliationis exemplum Juventuti relinquere, sempiternamque nomini suo, ac memoriae inconstantiae, ac defectionis notam, maculamque conquirere. Non dissimulat *pag.* 245,, quae olim scripsit

psit, „ Quum novitatem spirarent, et excutiendae Pontificiae Au-„ ctoritati ansam praebere possent, *pro perverso hujus Saeculi* „ *genio* avide ubique accepta, et citiùs, quam credibile est, „ quâquâversum pervulgata. „ Paeniteat ipsum male ominati successûs, qui perverso Saeculi genio debeatur, quo nefas gloriari, delectarique quemquam, qui meminerit ab Apostolo praedictum, surrecturos in Ecclesiâ homines, qui perversa loquerentur, ut abducerent Discipulos post se.

Rectiûs ille sibi plaudit, apertos pridem sibi fuisse oculos super suis erroribus ab Amplissimo Antistite, qui pro eximio suo in Religione tuendâ studio non praetermiserit ipsi ostendere, suos illos libros *idoneos esse ad scindendam Catholicam Unitatem*, quâ certe nil potius, nil antiquius Christiano homini esse debet. Timeat proinde Febronius illa errorum semina denuo exsuscitare, illaque iterum tentare capita disciplinae, *quibus contraire nemo possit*, *quin* (ipsomet judice) *in Religione periclitetur*, *et exitialium in Ecclesiâ turbarum Auctor existat*.

De Pontificiâ Auctoritate sentire aperte non vereatur, quae sensere Patres; quae sentit Bernardus, quem nemo adhuc suspicatus est, Romanis Pontificibus *palponum more* blandiri voluisse. Ne Petro dotes invideat, quas in eum, ejusque Sedem Christus contulit; quibus Fidei, Unitatis, ac Pacis bono in perpetuum servando consultum esse voluit: Si Ovis Christi esse vult, non spernat; immo amet ab eo pasci, cui suos Agnos pascendos, pascendas Oves suas Christus commisit. Non eripiat Ecclesiae fructum laetitiae jucundissimum, quem solemnis illa pii animi testatio totum se in complexum Petri demittentis eidem attulit; nullâ se deinceps irrequietae mentis agitatione, aut pristini animi residuo veluti pulsu ab hujus complexûs Charitate avelli sinat, ut quum aliquando, quod Mortalibus omnibus imminet, Anima ejus ab eo repetetur, exitum suum Apostolica Petri, Successoris ore confirmata, piisque omnibus expetita Benedictio prosequatur.

INDEX

POSITIONUM FEBRONII

POSITIO VII.

POSITIO VIII.

POSITIO IX.

POSITIO X.

POSITIO XI.

POSITIO XII.

POSITIO XIII.

PO-

POSITIO XIV.

Fieri non potest, ut a verâ Fide aberret Corpus Episcoporum Capiti suo Romano Pontifici adhaerentium. pag. 58.

POSITIO XV.

Haeresis Lutheri jam ante Concilium Tridentinum, praeeunte Leone X. Pontifice Maximo, ab Ecclesiâ irrevocabiliter damnata fuit. pag. 70.

POSITIO XVI.

Ecclesia a Christo habet auctoritatem judicandi de sensu, seu doctrinâ Propositionum, Librorum, et Auctorum; nec non Fideles compellendi ad subscribendum suae sententiae. pag. 74.

POSITIO XVII.

Constitutioni Unigenitus, *ut Dogmatico Sanctae Sedis, et universalis Ecclesiae Decreto omnimoda ab omnibus obedientia debetur.* pag. 76.

POSITIO XVIII.

Quae ad Ecclesiae statum pertinent, si quid dubitationis fuerit obortum, ad Romanum Pontificem referendum est. pag. 78.

POSITIO XIX.

Decretales Romanorum Pontificum reverenter suscipiendae, et sancte custodiendae sunt. pag. 82.

POSITIO XX.

Summo Pontifici jure Divino competit jus indicendi, dirigendi, et confirmandi Universalia Concilia. pag. 88.

PO-

POSITIO XXI.

Generalia Concilia sortiuntur firmitatem independenter a quácumque aliá acceptatione. pag. 91.

POSITIO XXII.

Concilium Tridentinum etiam in rebus Disciplinae liberum fuit. pag. 92.

POSITIO XXIII.

Causae Criminales Episcoporum per Concilium Tridentinum Romano Pontifici merito reservatae sunt. pag. 92.

POSITIO XXIV.

Pro Supremâ Potestate Pontifici in universâ Ecclesiâ collatâ ille sibi, suoque Judicio quaedam graviora peccata jure reservat. pag. 97.

POSITIO XXV.

Papa habet potestatem dispensandi ex legitimâ causâ in lege a Generali Concilio latâ. pag. 100.

POSITIO XXVI.

Primis jam tum Ecclesiae temporibus ii censebantur Spurii, Adulterinique Episcopi, quorum Ordinationem Romanus Pontifex respuebat, veluti modo Ultrajectinorum. pag. 113.

POSITIO XXVII.

Confirmatio, Translatio, et Depositio Episcoporum non potest Provincialibus Synodis restitui, nisi de libero Summi Pontificis consensu. pag. 114.

PO-

POSITIO XXVIII.

Canonizationes Beatorum etiam olim fiebant de consensu saltem tacito Romanorum Pontificum. pag.117.

POSITIO XXIX.

Legitimo usu in quibusvis causis Ecclesiasticis invaluerunt Appellationes ad Apostolicam Sedem. pag.119.

POSITIO XXX.

Summi Pontifices omni jure damnarunt Appellationes a Papâ ad futurum Concilium. pag. 125.

POSITIO XXXI.

Beneficiorum Reservationes sanae rationi, et aequitati consonae sunt. pag. 140.

POSITIO XXXII.

Concordata, utpote vim pacti habentia, religiose utrinque servanda sunt. pag. 144.

POSITIO XXXIII.

Annatae retinendae, usque dum Romanae Curiae necessitatibus aliunde provisum fuerit. pag.145.

POSITIO XXXIV.

Exemtio Regularium a Seculari Potestate, aut ab unâ particulari Synodo non valet abrogari. pag.147.

PO-

POSITIO XXXV.

POSITIO XXXVI.

POSITIO XXXVII.

POSITIO XXXVIII.

Obsecramus, ut Joannes aut simpliciter nostra fateatur, aut aperte defendat aliena. Nolo verborum ambiguitates. Nolo mihi dici, quod et aliter possit intelligi. Revelatâ facie gloriam Dei contemplemur = *Hieronymus Epist.* 61. c. 1. ad *Pammachium* = apud Lup. Tom.IX. p.63; col.1.

PO-

POSITIO I.

„ Claves Ecclesiae & uni Petro , et unitati simul a Christo „ concessae sunt ita , ut unum aliud non excludat . „

ANIMADVERS.

Videbatur Febronius primo illo singulari libro, quem *de Statu Ecclesiae* inscriptum edidit, in eorum opinionem , seu verius errorem incidisse, qui Clavium Potestatem putant directô , ac proxime Fidelium coetui collatam fuisse , indeque in Pastores commigrare . Idque non immerito innuere videbantur , quae scribit *c.1.* §.*6.* his verbis „ Clavium potestatem universitati Ecclesiae „ proprie , & ita transcriptam esse , ut illa per eos Ministros pro „ suâ cuique portione, ac inter hos per Summum Pontificem exer- „ ceatur „ Et *n.3.* „ Quum itaque Ecclesia ipsa principaliter , „ et radicaliter obtineat potestatem Clavium , quae ab illâ in „ omnes ejus Ministros , ipsumque Summum Pontificem deriva- „ tur, et singulis quibusque pro suâ portione communicatur ec.. „

Hoc suo Commentario ejusmodi errorem respuere se , profitetur Febronius , atque ad eum refellendum haud paucas ex illis auctoritatibus profert , quas abunde in eam rem Scriptura , et Traditio ex aequo suppeditant ; tum concludit : „ Nusquam Communitati , ac Multitudini Fidelium ea potestas donata legitur , nisi „ eâ ratione , eoque sensu , ut ad totius corporis utilitatem , velut „ ad finem referatur , non ut in multitudine tamquam in subjecto „ resideat . „ *(a)*.

C Huc

(*a*) Quin ab istâ communicatione vel ipsum ordinem Sacerdotalem excludit: inquit enim : = Ex pluribus his Sacrae Scripturae locis apertum est, omnia, quoad potestatem, Apostolis, eorumque Successoribus a Christo relicta esse, quando ex alterâ parte nullo textu probatur, eamdem potestatem „ collatam fuisse Ecclesiae acceptae pro multitudine Fidelium comprehen- „ so etiam ordine Sacerdotali , et inde ad Ecclesiæ Praelatos transiisse = Quo loco , ne videatur Febronius ordinis potestatem ipsimet Ordini Sacerdotali eripere voluisse , facile puto , intelligendum esse de potestate proprie dictâ Regiminis, seu Jurisdictionis , ut ajunt , in foro externo. Quippe ,

„ Huc usque recte satis, ac dilucide progressus videtur Febronius. At nonnihil perturbationis afferunt verba, quae sequuntur (p.7.) „ Huic Sententiæ, quæ nunc verior videtur, adver- „ santur (si fides habenda Doctoribus Sorbonicis, Natali Alexan- „ dro, Joanni Launojo) Parisienses Theologi docentes, Clavium „ potestatem a Christo concessam fuisse Petro tamquam Eccle- „ siae Personam gerenti, atque adeo penes Ecclesiam ceu subje- „ ctum immediatum, ut Scholæ phrasis habet, Clavium illam „ residere potestatem. „

Confusa plane oratio. Nam Sententia, de quâ unâ hic agitur, ea ipsa est, quam Richeriano errori Catholica veritas opponit, cui proinde adversari nemo queat, nisi qui se idem systematis Richeriani propugnatorem profiteatur: Quo in numero si vel Launoium, vel Dupinium, vel alios quosdam ejus indolis homines Febronius habere volet, non valde repugnabimus; Doctores vero Parisienses universe Richerio favere, nullo pacto concedemus: Quod et ipse Febronius minus jam secum ipse consentiens deinceps agnoscit; sequitur enim: „ Absunt tamen ipsi ab eâ opi- „ nione, quasi Potestas Ecclesiastica uni, et soli Ecclesiae per „ se, Petro autem, caeterisque Apostolis per Ecclesiam ita data „ esset, ut his Jurisdictio solum instrumentaliter, ministeriali- „ ter, & quoad exequutionem tantum competat. Quam doctri- „ nam in vitio cubare recte statuunt Tournelius, Petavius &c. „

Nihil est igitur caussæ, cur vereatur Febronius in Doctorum Parisiensium offensionem incurrere, tametsi non ut *veriorem* tantum, (quæ vox est subdubitantis adhuc animi), sed ut omnino *veram*, certamque amplectatur eam doctrinam, quam ipse agnoscit, fateturque, prolatis a se perspicuis sacrarum litterarum, Traditionisque monumentis apertissime comprobari.

Neque officit, aut ad rem facit, quod Doctores isti, ut ait Febronius, doceant, Clavium potestatem datam esse Petro *tamquam Ecclesiae Personam gerenti*. Hoc enim ipsum sic intelligi vo-

---

pe, ut cum Theologis omnibus testatur *Bellarminus de Paenit. l.*III. *c.*14. „ Quum Catholici dicunt, universo Ordini Sacerdotali datas esse claves, „ id omnes intelligunt de Potestate Ordinis, quam Sacerdotes omnes in „ Ordinatione suscipiunt, quamque exercere non possunt, nisi praeterea „ Jurisdictionem ab Episcopis accipiant. =

volunt, Auctore *Natali Alexandro Dissert.4. in 1. Sec.§.3.*, non quasi Claves Petro collatæ sint, ut *Ecclesiæ Legato*, sed ut *Ecclesiae Supremo post Christum, et sub Christo Rectori, ac Moderatori*.

Ut proiude non ab Ecclesiâ, cui jussus est praeesse, sed a Christo, qui eum praeesse, jussit, Ecclesiæ regendæ potestatem acceperit. Etenim, ut etiam animadvertit *Petavius* a Febronio laudatus *p.* 4. „ Prius illa potestas fixa, constitutaque fuit, at-„ que ministerium ejus, et Episcopi prius designati, quam Eccle-„ sia, atque totum Corpus, ac Respublica tota coaluisset. Ita-„ que non ante penes ipsam Communitatem Jurisdictio Ecclesia-„ stica resedit, & inde velut Populari consensu in Magistratus est „ translata. „

Sed ne in causâ tanti momenti de constanti mente Parisiensis Scholae, merito suo celebratissimae, vel minima ambiguitatis suspicio resideat, velim Febronius audiat, quid de suâ, deque Gallicanarum Ecclesiarum, Academiarumque Sententiâ *Natalis* ipse *Alexander* testetur *Dissert.4. de Auctorit.Concil Constantien. n.* 1. „ Ecclesiae Gallicanae, et quotquot in Galliis sunt Academiae, „ Dogma Fidei nihilominus esse censent, quod Romanus Episco-„ pus unus sit Jure Divino Summus in Ecclesiâ Pontifex, cui „ omnes Christiani parere tenentur: et qui *immediate* a Christo „ non honoris solum, aut dignitatis, sed et potestatis, ac juri-„ sdictionis Primatum habeat = nec mirum. Quippe *Papam non „ esse proximum, & immediatum Christi Vicarium*, proscriptus „ error est inter damnatas *in Concilio Constantiensi propositio-„ nes Vicleffi n.37.*

Hinc et post Concilium Constantiense Parisienses Doctores nefastas plures, dirasque defixerunt M. A. de Dominis Sententias, quibus Vir ille (claro ingenio pessime abusus) Supremam a Christo profectam Pontificis Auctoritatem impetebat. Censuram refert Ludovicus Bail (sum. Concil. tom. 1. p.81. & seq.) Doctor ipse, ac Pro-poenitentiarius Parisiensis, hâc potissimum de caussâ, quod hæc *mentem Parisiensium maxime, ac velut in meridianâ luce manifestat* . . . . . „ Hujus certe censurae, pergit ille, quot „ pene verba, tot Sententiae sunt; quot sensus, tot victoriae: sed, „ etsi jam devios ad sui consensum impellere non valeat, suadebit „ forsan alios, ne iis adhaereant. „ Inter plures porro praeclarae

hujus censurae articulos, quos libenter omnes describerem, nisi a propositâ brevitate discedendum foret, duos potissimum seligam: Quod Spalatensis dixerat, *Monarchiae formam non fuisse immediate in Ecclesiâ a Christo institutam*, hâc notâ reprobarunt Parisienses: „ Haec propositio est haeretica, Schismatica, Ordinis „ Hierarchici subversiva, & pacis Ecclesiae perturbativa „ Quod Spalatensis subjunxerat, = *Doctrina in articulis Hus contenta, nimirum in Ecclesiâ non dari unum Caput Supremum, et Monarcham, praeter Christum; Christum suam Ecclesiam per multos Ministros sine uno isto Monarchâ mortali regere perfecte, & gubernare, est doctrina Catholica a Sanctis Patribus egregie explicata, et confirmata*, brevi hâc censura perstrinxere Parisienses: „ Haec propositio est haeretica quoad singulas partes „ Ex hujus porro censurae toto complexu animadvertit *Bail pag.* 84., rite colligi posse, quae sit mens Parisiensium, nimirum: „ Regimen Ecclesiae a Christo institutum Monarchicum esse, non Aristocra- „ ticum (*a*); Jurisdictionem Apostolicam ordinariam in solo Pe- „ tro, non in caeteris Apostolis extitisse; Monarchiae formam „ in Ecclesiâ a Christo immediate institutam fuisse; Dari praeter „ Christum unum Caput Supremum, et Monarcham in Ecclesiâ; „ Christum non regere Ecclesiam, nec gubernare per multos „ Ministros sine illo Monarchâ mortali; In Ecclesiâ Romanâ Su- „ premum esse Primatum; Pontificem Romanum peculiarem esse „ Petri Successorem; unitatem Rectoris visibilis ad unionem Ec- „ clesiae facere ita, ut falsum sit, unionem Ecclesiae Catholicae „ in unitate Rectoris visibilis non consistere; Romanam Ecclesiam „ Jure Divino auctoritatem in alias Ecclesias habere. Haec, et „ similia doctrinae Parisiensis Facultatis capita, ut quod etiam „ ibidem continetur de Concilio Florentino, et aliis, longe aliena „ sunt ab iis, quae nonnulli his temporibus libris suis circumforaneis in Christi Vicarium blaterant sub velo Parisiensium, quasi „ paucorum ex iis opiniones essent omnium „

Accedat *Gersonis* auctoritas *tract. de Statib. Ecclesiae Consid.* 1., ubi non veretur *Schismaticum, et Haereticum* dicere *eum, qui negaret, Statum Papalem institutum esse a Deo supernatu-*

(*a*) Tametsi Aristocratiâ quâdam temperatum agnoscit non Tournelius tantum, sed et Bellarminus, ut mox exponetur.

naturaliter, et immediate, tamquam habentem Primatum Monarchicum, et Regalem in Ecclesiasticâ Hierarchiâ. *Et lib. de potest. Ecclesiae Consid.* 10. *Plenitudo*, inquit, *Legis Ecclesiasticae sic proprie sumta non potest esse de lege ordinariâ, nisi in unico Summo Pontifice formaliter, et subjective; alioquin Ecclesiasticum Regimen non esset Monarchicum, et habere posset multiplex caput ex aequo, quod est haereticum.* *Et lib. de Auferibilitate Papae consid.* 5.: *Nullam aliam politiam* (in Ecclesiâ) *instituit Christus immutabiliter praeter Monarchicam, et quodammodo Regalem; et oppositum sentientes, quod videlicet fas est, esse plures Papas; aut quod quilibet Episcopus in suâ Dioecesi est Papa, vel Pastor Supremus aequalis Papae Romano, errant in Fide, et Unitate Ecclesiae contra Articulum hunc: Et unam Sanctam Ecclesiam; et si pertinaces maneant, judicandi sunt Haeretici, sicut Marsilius de Paduâ, et quidam alii.*

His perspectis quaeri potest 1. num satis ex aequitate, et veritate olim egerit Febronius, qui paucorum Italorum assentationi Statûs Monarchici in Ecclesiâ propugnationem adscriptam retulerit? 2. Num satis esset caussae, cur ab hâc Monarchiae appellatione tantopere abhorreret, quam tot insignes Parisienses non usurparunt modo, verum et libenti animo complexi sunt, ac retinendam omnino judicarunt? Nam quod ille dixerat, formam regiminis Monarchicam minus Ecclesiastico regimini convenire, quod haec *facile solet in despotismum declinare*, paullo contumeliosius dictum videtur in eam politiae formam, quam sapientissimi totius antiquitatis viri caeteris anteferre non dubitarunt; quamque, siquidem temperata sit, longe a despotico Dominatu vi suâ recedere non diffitetur Vir hujus aetatis politicae scientiae famâ (jure ne, an injuriâ, non quaero) celebratissimus. 3. Num Catholici cujusque Lectoris expectationi rite tum satisfecerit Febronius, a quo rogatus, quae demum dicenda sit vera regiminis in Ecclesiâ vigentis formula, respondendum censuerat „ Cum „ viro, sacris quidem Protestantium addicto, sed docto, et re„ rum politicarum cum primis perito, atque in hâc parte vera „ tradente: *In Ecclesiis formandis non opus est decreto super cer„ tâ regiminis formâ introducendâ, absurdaeque adeo sunt quae„ stiones, Monarchica, Aristocratica, an Democratica forma „ competat Ecclesiae. Hae quippe formae cadunt in Statum ali-*

quem.

„ *quem, seu Civitatem: Ecclesia autem Status non est?* „ An haec docti, ac politici, si placet, Hominis Samuelis Pufendorffii levissima sane argutia satis momenti habere debuit, ut spretis Parisiensium decretis, ac sententiis, quod illi de formâ Ecclesiastici regiminis Monarchicâ dixerunt, absurde quaesitum, ac statutum censeri oporteret? Levissimam dixi argutiam: Quis enim hanc potestatem dedit Pufendorffio, ut quae voces vi suâ, et notatione tantum patent, quantum patet vox ipsa regiminis, atque adeo locum suum habent, ubicumque sese prodat aliqua regiminis constitutio, cujuscumque naturae illa sit, eas ille voces ad solum civilis statûs regimen contrahi jubeat? Aut ergo delenda penitus, et obliteranda regiminis Ecclesiastici Constitutio; aut, si aliquod regimen in Ecclesiâ retineri placet, necesse est, id praeditum esse aliquâ ex iis formis, quae memoratis vocibus aptissime exprimuntur. Ac ne quemquam terreat tetra illa species *despotismi*, quam Febronius objecerat, audiendus *Bellarminus l. 1. de Romano Pontifice c. 3.*, ubi posteaquam generatim disseruit de regimine ex tribus formis temperato, dein ex civili statu, atque ex veteris foederis Ecclesiâ, orationem convertens ad Christianae Ecclesiae regimen subjungit: De Ecclesiâ Testamenti novi idem
„ postea probandum erit, esse in eâ videlicet Summi Pontificis
„ Monarchiam; atque Episcoporum, qui veri Principes, et
„ Pastores, non Vicarii Pontificis Maximi sunt, Aristocratiam;
„ ac demum suum quemdam in eâ locum habere Democratiam,
„ quum nemo sit ex omni Christianâ multitudine, qui ad Epi-
„ scopatum vocari non possit, si tamen dignus eo munere judi-
„ cetur. „ Et cap. 5. „ Jam vero Doctores Catholici in eo con-
„ veniunt omnes, ut regimen Ecclesiasticum hominibus a Deo
„ commissum sit, illud quidem Monarchicum, sed temperatum,
„ ut supra diximus, ex Aristocratiâ, & Democratiâ. id, quod prae-
„ cipue tractavit B. Th. in 4. cont. gent. c. 76. Joan. de Turre-
„ crem. Nicol. Sanderus in lib. de visibili Monarchiâ Ecclesiae „
Sed ne quis ambiguitati, aut hallucinationi locus relinquatur, quod attinet ad istam Aristocraticam temperationem consulenda etiam nota, quae ad Schol. 5. Dissert. 4. Nat. Alex. Sec. 1. adjecta est Edit. Ven. pag. 95. col. 2. Ex quibus patebit, istius-modi temperationem non ad Pontificiae imminutionem auctoritatis, sed ad ejus subsidium, ac robur valere.

Sub

Sub hâc positione notatus ab aliquo fuit locus alter, velut minus accuratus, ex quo nimirum inferri posse videretur, Episcopos, qui caritate careant, Clavium quoque potestate carere. Locus hic est *p.8.* „ Atque hoc ipsum Episcoporum universum „ corpus per fidem, et caritatem in suo capite conjunctum ea „ est unitas, cui a Domino Imperium a Patre sibi creditum *im-* „ *mediate* collatum fuisse *Augustinus* prae caeteris luculentius as- „ seruit *Serm.* 108. de Divers. c. 2. „ Hic tamen ego nollem esse morosior, atque dictum istud in eum sensum facile interpretarer, quo apud *Ballerinium de Primatu c.* 10. *n.* 5. dictum reperitur: „ Porro hae duae unitates Fidei, et Charitatis tam verae Christi „ Ecclesiae, singulorumque ejus membrorum propriae, ac ne- „ cessariae sunt, ut qui alterutrâ careat, is esse desinat in verâ „ Ecclesiâ „ Ubi ex toto contextu apparet, Charitatis nomine vinculum illud communionis designari, quod Schismate dissolvitur; quo Unitas Catholica constringitur; quodque ad Charitatem refertur velut terminum, unde formam, perfectionemque accipit.

Aliud potius eo in loco notandum occurrit, quod scilicet *Serm.* 108. *de Divers.* seu *Edit. Maur. Serm.* 295. *Augustinus* dicatur luculentius prae caeteris asseruisse, Imperium, quod a Patre accepit, Christum Unitati *immediate* contulisse. Nam 1. vox illa *immediate* deest apud Augustinum. 2. Neque ex toto contextu erui potest, Sanctum Doctorem censuisse, Claves *Unitati* aliter, quam per Petrum, collatas fuisse. Eo sermone *c.* 2. Augustinus illud in primis celebrat singulare Petri decus, quo inter Discipulos *pene ubique solus totius Ecclesiae meruit gerere Personam.* Tum addit: „ Propter ipsam Personam, quam totius Ecclesiae „ solus gestabat, audire meruit: *Tibi dabo Claves Regni Coelo-* „ *rum.* Has enim Claves non *Homo unus*, sed *Unitas accepit* „ *Ecclesiae* „ Duo hic habentur: Primum, soli Petro dictum esse: *Tibi dabo Claves*: Alterum, istas tamen Claves non hominem unum, sed unitatem accepisse Ecclesiae. Et licet primo aspectu minus una pars congruere cum alterâ videri possit, ambae tamen aptissime cohaerent, siquidem plano sensu, ac suo tota sententia intelligatur. Claves scilicet uni quidem Petro primitûs datas, non tamen quatenus Petrus unius tantum singularis, ac privati hominis Personam gereret, sed quatenus Caput Ecclesiae con-

constituebatur; adeoque totius Ecclesiae Personam, non ut Ecclesiae (V. Sup. Nat.Alex.) *Legatus*, *sed ut ejusdem Supremus post Christum*, *et sub Christo Rector*, *ac Moderator* gerebat. Hoc, inquam, pacto plane intelligitur, non unum dumtaxat hominem, sed Unitatem Ecclesiae Claves accepisse, quas ille, non ut privatus, et singularis homo pro se ipso tantum accepit, verum prout Ecclesiae ipsi tamquam Caput praeficiebatur adeo, ut earum vis, et potestas, quae ipsi, ut Supremo Rectori, primitûs data est, in reliquos Praepositos sibi adhaerentes, et obnoxios velut a Capite in membra promanaret. Quae dicendi ratio populari etiam loquendi consuetudine mirifice comprobatur. Quid enim tam tritum sermone familiari, quam quod vulgo dici solet sive in physicis, sive in moralibus, Corpus ipsum, seu corporis unitatem recipere quidquid in caput pro toto corpore, totiusque Corporis usu, et utilitate confertur?

Neque solum hujusmodi explicatio hâc de caussâ existimari debet Augustini menti aptissime congruere, quod nil contortum, nil a communi sensu, et sermone abhorreus prae se ferat, sed ob hanc maxime rationem, quod antiquiorum Patrum unanimi sententiae, perpetuaeque Traditioni prorsus consentiat, a quâ haud par est credere, Augustinum recedere voluisse: Meminerat sane Augustinus, quod sempiternae Fidelium memoriae *Tertullianus* commendaverat hisce verbis *in Scorp. c.* 10.: *memento Claves hic Dominum Petro*, *et per eum Ecclesiae reliquisse*. Non eum fugiebat, quod tot locis Cyprianus (De Unit. Ecclesiae Ep. 55.) et dixit, et significavit, Christum ita disposuisse, ut a Petro Sacerdotalis unitas exoriretur. Quod si unitas a Petro; ergo a Petro etiam (eodem sensu) potestas unitati cohaerens. In eamdem sententiam *S. Optatus Milevitanus l.* 7. *cont. Parmen.* de Petro ait, eum *Claves Regni Coelorum communicandas ceteris solum accepisse*. Quam universalem Traditionem paucis deinceps, at aptissimis verbis complexus est *Leo Magnus Serm.* 3. *in Anniv.* dum ait, *Christum nunquam*, *nisi per ipsum* (Petrum), *dedisse*, *quidquid aliis non negavit*.

Quod ergo ait Febronius, luculentius prae ceteris asseruisse *Augustinum Serm. illo de Divers.*, Claves a Christo *immediate* datas unitati, uberiore quâdam explicatione indigere videbatur, ne quisquam existimaret, ex Augustini Sententiâ Clavium pote-

sta-

statem Ecclesiae primitûs, quam Petro datam esse. Quod secus est. Enim vero *huic Ecclesiae Claves Regni Coelorum datae sunt, quum Petro datae sunt*, inquit *idem S. Doctor de Agone Christiano c.* 30. Quae verba, nisi quis in alienum ea sensum detorqueat, idipsum aperte significant, quod modo ab aliis Patribus traditum accepimus, Ecclesiam per Petrum, non Petrum per Ecclesiam Claves accepisse. Quamobrem nemo melius Augustini mentem assequutus est, quam ejusdem fidelis aeque, ac tutus Interpres *Thomas in 4. dist.* 24. *q.* 3. *a.*2. „ Quamvis, *inquit*, „ omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, et sol- „ vendi; tamen, ut in hâc potestate aliquis ordo significaretur, „ primo soli Petro data est, ut ostendatur, quod ab eo in alios „ debet ista potestas descendere „.

Antequam huic Capiti finem imponamus operae pretium fuerit nonnulla percensere, quae ut sunt suo loco sapienter a Febronio constituta, sic aptissima videntur ad illa praecludenda effugia, quibus saepe ille deinceps a se ipso, suisque positionibus discedere nititur.

I. De Personis. Quemadmodum a Christo electi fuere Apostoli, sic agnoscit *ab Apostolis factas suorum Successorum, et Presbyterorum Ordinationes, et Deputationes*. Quod quidem apertis constare ait Scripturarum textibus, ac demum concludit: *Hi soli ex naturâ regiminis hujus sacri jus habent alios quosdam ad Ministerium Religionis ordinandi*. Ex naturâ itaque sacri regiminis a Christo instituti agnoscit, prodiisse potestatem eam, quâ praediti Apostoli fuere in Sacrorum Ministris non ordinandis tantum, sed et deputandis; quippe non alio ex fonte profecto jure factas memorat ab Apostolis suorum Successorum, Presbyterorumve non Ordinationes tantum, sed et *Deputationes*; meritoque ad Ordinationem adjunxit jus istud deputationis faciendae, quâ nimirum legitima missio continetur. Quocirca *Tridentina Æcumenica Synodus Sess.*23. *de Sacram. Ordinis Can.* 7. illos anathemate percellit, qui dixerint, *eos, qui nec ab Ecclesiasticâ, et Canonicâ Potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, et Sacramentorum Ministros*. In hâc porro missione praecipuas esse partes Romani Pontificis, satis intelligitur *ex Can.*8. „ Si quis dixerit, Episcopos, qui auctorita- „ te Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, et veros „ Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.

D De

II. De modo potestatis illius exercendae haec docet p. 5. „ „ Quod si intueamur modum, quem in regendis Ecclesiis Apo- „ stoli servabant, apparet undique, illos egisse tamquam nihil „ tenentes a Corpore, sed plenam a Deo in universam Fidelium „ Societatem obtinentes Auctoritatem cum omnimodâ, absolutâ- „ que ab illis independentiâ, quantum scilicet ad sacrum eorum „ Ministerium attinet „

III. Agnoscit, Gentium Doctorem, quum Apostolico suo munere fungeretur, non Ecclesiae, sed Christi Domini nomine potestate illâ usum esse sive in excommunicando, sive in absolvendo incestuoso Corinthio. „ Non expectato multitudinis con- „ sensu sive tacito, sive praesumto „ (quo plane revincitur Quesnelliana propositio 90.: *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem praesumto totius Corporis*), „ sed ne Ordinis quidem Sacer- „ dotalis . . . convocat Fideles, non ut suam Sententiam con- „ firmet, sed ut illa majore solemnitate exequutioni mandetur. „

Quum ergo potestas illa, quam pro regendâ Ecclesiâ Christus Apostolis concessit, in eorum Successores, fatente Febronio, eodem plane jure manaverit, fatendum quoque illi erit, quibuscumque in rebus sive ad Fidem, sive ad Mores, et Disciplinam pertinentibus Apostoli eâ potestate proprio, Divinoque jure usi sunt, nec ab eâ utendâ legitime impediri potuerunt, jus, fasque esse illorum Successoribus eisdem in rebus decernendis, et constituendis eâdem potestate utendi, prout deinceps latius explicabitur..

IV. Exponens Febronius, quemadmodum intelligi velit, Claves Ecclesiae et uni Petro, et unitati simul a Christo ita concessas esse, ut unum non excludat alterum, profert inter alia, quod statuit *Habertus Part. II. de Hier. Eccl. C. 5. §. 5. q. 2.* „ „ Potestas Clavium data est Ecclesiae, hoc est Pontifici, et Epi- „ scopis; et his quidem cum subordinatione ad Pontificem Petri „ Successorem „ Quum ergo huic Haberti Sententiae suam Febronius adscribat, agnoscere illum oportebit, quam potestatem Christus Episcopis tradidit, eam fecisse Petri Successoribus obnoxiam. Inane igitur commentum est, quod aliis locis insinuare non veretur, primis Ecclesiae temporibus Episcopos suis in regendis Dioecesibus plenariâ quâdam, et indefinitâ potestate potitos esse

esse. Quippe haec duo consistere nullo pacto possunt, ut eadem potestas et plenaria sit, et alteri simul superiori Potestati obnoxia.

POSITIO II.

„ Claves datae sunt uni Petro, quatenus Ille Primatum, et „ Regiminis potestatem accepit a Domino; Idemque Personam „ totius Ecclesiae gerebat „

ANIMADVERS.

Explanationem hujusce Positionis aggreditur Febronius hisce verbis: „ Constans est, *inquit*, Patrum doctrina, quas Claves „ Christus Petro dedit principaliter, eas caeteris quoque Apo„ stolis, et eodem quidem actu a Christo datas fuisse minus „ principaliter. Tantum non innumera sunt in hanc Sententiam „ eorumdem Testimonia, ex quibus pauca seligo „. Pauca revera seligit, nec ea, tametsi apud Patres frequentissima, quibus principalis illa potestas in Petrum collata splendidius elucet.

Recte porro se habent, quae de interpretatione celebris textûs *apud Matth. c. 16. v. 18. Tu es Petrus, et super hanc Petram* eloquitur „ Etsi autem *Petram*, super quam aedificaturum „ se Christus Ecclesiam suam significat, alii quidem Christum „ ipsum; alii Fidem, et Confessionem Petri; alii denique cum „ Petro reliquos etiam Apostolos, et Discipulos interpretentur, „ perstat nihilominus, eâ interpretandi varietate nihil detrahi „ *litterali* interpretationi, cujus in disceptando praecipua ratio „ habenda est, quâ constat, Petrum in eâ Christi dispositione „ *peculiari quâdam ratione significari* „

Sed insuper notandum, Doctores illos, aut Patres, qui varias illas interpretationes attulerunt, non propterea germanam, maximeque propriam ejusdem textûs significationem deseruisse; verum eâ omnino retentâ in alios quoque sensus, quos recondita, planeque mira Divini Verbi foecunditas abunde suppeditat, pro rerum, de quibus agebant, oportunitate intendisse. Hoc ipsum praeclare observat *Natalis Alexander laudatâ Dissert. 4. in I. Secul.* §. 3. nimirum „ S. Augustinum ipsum, et nonnullos

alios

„ alios Patres, qui haec verba, *et super hanc Petram*, ad Chri-
„ stum interdum referunt, non excludere aliam expositionem, quâ
„ ad S. Petrum convenientius referuntur a caeterorum Patrum
„ Choro, immo utrumque sensum adstruere. „ Quod idem de aliis interpretationibus confirmat perspicuis in eam rem prolatis testimoniis.

Ad extremum haec Febronius adjicit non sine quâdam animadversione praetereunda: „ De quaestione, cui per se ipsum,
„ et principaliter Christus Clavium potestatem consignaverit,
„ ita ante duo Saecula, et amplius scripsit Martinus Azpilcueta
„ dictus a suâ Patriâ Navarrus, Romae Poenitentiarius, ibidem
„ anno 1586. defunctus, in Cap. *Novit* de Judiciis, Notab. III.
„ n. 84. Non est consilium in praesentiâ definire, cui principali-
„ ter Ecclesiae potestas fuerit a Christo collata, an toti Ecclesiae,
„ an vero ipsi Petro, propter maximam illam discordiam Roma-
„ norum, et Parisiensium. Hi vero, quibus adhæret Gerson,
„ tenent, totam datam esse Ecclesiae, licet exercendam per
„ unum, atque adeo in aliquibus saltem casibus Concilium esse
„ supra Papam „ Tum subjungit Febronius, hanc se quaestionem in medio relinquere.

Hic porro videtur non solum in medio quaestionem relinquere, de quâ hic non agitur, num in aliquibus saltem casibus Concilium sit supra Papam, sed et in dubium, et discrimen vocare, quod paullo superius constanter, et aperte docuit, certissimisque auctoritatibus confirmavit, Claves Petro *principaliter* a Christo datas esse: Quin videtur et istud in quaestionem adducere, de quo nihil in allato Navarri testimonio, an Christus Petro *per se ipsum* Clavium potestatem consignaverit; quasi non per seipsum Christus Petro dixisset: *Tibi dabo Claves*: et rursum: *Pasce Oves meas*: et insuper: *Confirma Fratres tuos*.

Neque vero est, quod in hâc excitandâ dubitatione tueri se, ac tegere Auctoritate Navarri sibi blandiatur. Ait Navarrus, suum non esse consilium in praesentiâ quaestionem illam definire. Aperienda erat proinde praesentis ejus Consilii ratio. Nimirum, quum Ecclesiasticam potestatem definire aggressus esset Navarrus, propositum ipsi fuerat ejusmodi definitionem edere, quam nemo, qui Catholicus audire vellet, nec Almainus ipse inficiari posset. Ob eam caussam abstinendum sibi duxit eo loco ab

ab eâ disputatione, quae de superioris auctoritatis contentione, quod attinet ad Pontificem, vel Concilium, nonnullis in Scholis vertebatur; nec adeo quaestionem attingendam, quae de subjecto Clavium prodierat non solum Romanos inter, et Parisienses; sed et inter Parisienses ipsos, qui tamen plurimi ab Richerii errore longissime semper abfuerunt, quod forte Navarrus non satis caute animadverterat. Aliunde quid de totâ illâ contentione senserit Vir Religione non minus, quam doctrinâ, et eruditione praestans, intelligi potest ex his, quae scripsit 3. *lib. Consil. Tit. de his, quae fiunt a maj. par.*, videlicet Papam longe aliter praeesse Concilio Generali, quam Archiepiscopum Provinciali,, „ Quia, *inquit*, Papa praeest ut Persona, in quâ residet tota „ potestas Ecclesiae ita, quod solus potest statuere quidquid cum „ Concilio posset „ Quin *et in hâc ipsâ Relect. in cap. Novit*, quae a Navarro pronunciata est An. aetatis suae 55. in inclytâ Conimbricensi Academiâ, testatur, quidquid dicturus est, eâ se mente dicturum, ut nolit vel transversum, ut ajunt, unguem secedere a Romanâ, quae una est omnium Magistra, Ecclesiâ.

Sed jam forte vereri caepit Febronius, ne quidquam a se praetermissum videretur, quod ad minuendam quoquo modo Pontificiam auctoritatem valere posset, majora deinceps hujusce sui studii, et animi exempla daturus. Caeterum quod ex illis Navarri verbis definire non audet, num Pontifex non aliter suam potestatem accipiat, nisi quatenus hanc Christus Ecclesiae toti contulerit, exercendam tamen per unum, in eo primûm suam inconstantiam prodit, qui paullo ante disertis scripturae testimoniis patefecerit, Apostolos in regendis Ecclesiis ita se gessisse, ut nihil se a corpore tenere plane ostenderent, suisque muneribus non Ecclesiae, sed Christi Domini nomine perfunctos esse: Deinde haec ipsa ejus inconstantia eo minus excusationis habet, quod Febronio, siquidem constare sibi voluisset, nulla metuenda controversia videbatur vel cum Doctoribus illis, qui Episcoporum potestatem suis in regendis Dioecesibus non a coetu Fidelium, sed a Christo *immediate* repetunt. Quod enim isti omnibus indiscriminatim Episcopis ultro concedunt, ut a Deo *immediate* suam potestatem accipiant, hoc ipsum uni Romano Pontifici negare haud possunt; eo vel maxime, quod singularibus Episcopis sua cuique portio Gregis non Divino, sed Ecclesiastico instituto assi-

gnata

gnata est; Petro vero, Ejusque Successoribus Grex totus Divinâ est institutione commendatus. Praeterquamquod qui a Christo immediate jurisdictionem Episcopalem repetunt, eam ipsam auctoritati Romani Pontificis obnoxiam, et subjectam confitentur; et proinde haec ipsa, cui caeteri Antistites Divino jure subsunt, multo potiori ratione *immediate* Deo accepta referri debeat. Sed de his plenius infra dicetur.

POSITIO III.

„ Ecclesia est Societas hominum, in quâ baptizati Fideles
„ ex institutione Christi sub legitimorum Pastorum, ac praecipue
„ Summi Pontificis regimine degunt. „

ANIMADVERS.

DEfinitionem Ecclesiae sapienter a V. Bellarmino propositam vindicandam cum Tournelio suscipit adversus Launojum.

Agnoscit in Ecclesiâ verum Regimen a Christo Domino institutum triplici constans potestate, *Judicatoriâ*, *Imperativâ*, et *Coërcitivâ*.

Refellit propositam a Protestantibus definitionem Ecclesiae, quâ dicitur *Societas aequalis ad colendum Deum secundum doctrinam a Christo traditam &c.* Ostenditque, haud aequalem dici posse Societatem, in quâ ex Christi instituto alii sunt *Regentes*, alii *Parentes*.

POSITIO IV.

„ Hujus regiminis potestas a Christo instituta veram subje-
„ ctionis, et obedientiae obligationem multitudini imponit. „

ANIMADVERS.

PErfectum Regimen tribus ex partibus coalescere docet, potestate nimirum *Legislatoriâ*, *Judicatoriâ*, *et Coërcitivâ*; confirmatque, triplicem hanc potestatem Christum Praepositis Ecclesiae contulisse, quam in rem aptissimis utitur Apostoli testimo-

moniis; tum addit „ Longum foret enumerare determinationes, „ constitutiones, praecepta, et mandata alia ab Apostolis pro „ re natâ edita, quae in eorum epistolis prostant; multo magis Ca- „ nones, qui ab Apostolorum Successoribus pro temporum va- „ rietate, et rerum exigentiâ in Synodis conditi sunt. „

Mox recitatâ Protestantium sententiâ, qui statuunt, transisse quidem ab Apostolis in posteros docendi munus, non item ferendi leges, eorum errorem coarguit his verbis „ At quis non „ intelligit, sicut in nullâ aliâ, ita nec in Christianâ perpetuo „ duraturâ Societate sine Legislatoribus aeque parum pacem, et „ felicitatem Ecclesiae, ac sine Doctoribus sanam doctrinam Re- „ ligionis Christianae conservari, promoverique posse? „

De judiciariâ potestate, quod attinet ad controversias Fidei, ac Morum dirimendas, videtur sese Tournelii explicationibus magnâ ex parte accommodare voluisse.

Quod attinet ad coërcendi, puniendique potestatem, agnoscit, „ habere Ecclesiam, vel a se ipsâ, et vigore suae institu- „ tutionis jus suos Fideles ad obedientiam cogendi, imponendi eis „ poenas canonicas, non salutares tantum, sed veras poenas spi- „ rituales mediis sententiis, et censuris, quas primi Pastores jus „ habent in Refractarios pronunciandi . . . . .

„ Ex his concludit, non posse non agnosci, quod indepen- „ denter ab eâ parte jurisdictionis, quâ ex liberalitate Christia- „ norum Principum Ecclesia fruitur, ipsa etiam ex propriâ suâ „ substantiâ exteriorem, veramque jurisdictionem obtineat, quae „ includit potestatem in crimina inquirendi, Reos ad suum Tri- „ bunal vocandi, testimonia, et probationes recipiendi, senten- „ tias pronuntiandi, et spirituales poenas infligendi „ .. At vero de toto isto genere poenarum Spiritualium, quarum infligendarum potestatem Ecclesiae concedit, deque parte illâ jurisdictionis, quam Christianorum Principum liberalitati acceptam refert, quum non satis explicate mentem suam aperire voluerit, verba ipsa recitabimus, quibus illam aut intelligendam, aut divinandam proposuit. „ Quum igitur, *inquit p.*28., summum in Ecclesiâ coër- „ citionis genus excommunicatione, seu privatione juris Chri- „ stianae Societatis contineatur; istiusmodi autem privatio ea „ dumtaxat bona spectet, quae a Societate istâ, quâ tali, pro- „ manant, regula inde velut suâpte nascitur, quâ discernere, „ quas

„ quas coërcitiones Ecclesia jure proprio intentare valeat, atque „ dum aliquas facinorosis, ut ad frugem redeant, reipsâ infligit, „ quid in iis agat jure proprio, et Divino, quidve ex Principum „ Saecularium concessione, atque assistentiâ: ita Revmus Rautenstrauch Inst. jur. Eccl. sect. 1. &c. „

Quam vim huic regulae, quasi per transennam indicatae, tribuat Febronius, curiosius rimari non vacat. Tantum, ne aliquis in Spiritualium poenarum intelligentiâ nobis error objiciatur, notandum ducimus, poenas Canonicas, quae vel priorum Saeculorum usu invaluerunt, inter eas a Febronio ipso enumerari, quas *vigore suae institutionis*, jure scilicet proprio, ac Divino Ecclesia valet infligere. Jam istud notissimum est, poenas canonicas, quae ipsis antiquissimis Canonum statutis decernuntur, tametsi spectato fine *spirituales* jure, ac merito dicantur, spectato genere ipso corporalem sane perpessionem, totiusque personae afflictationem quamdam inferre, quarum proinde infligendarum potestatem quisquis Ecclesiae volet abjudicare, illi erit cum Febronio ipso confligendum. Et quamquam evenire queat, ut contumaces homines perferre illas detrectent, non propterea obligatione solvuntur, quâ jubenti Ecclesiae parere tenentur; siquidem, ut ad extremum docet Febronius, „ Legislatoriam, Judiciariam, et „ Punitoriam potestatem parendi, seu obediendi obligationem „ post se ex parte subjectorum trahere, sponte intelligitur.. „

POSITIO V.

„ Propterea inter duodecim Apostolos unus (Petrus) ele- „ ctus est, ut Capite constituto Schismatis tollatur occasio. „

ANIMADVERS.

IN positionis hujusce confirmationem longum satis, nec a proposito alienum profert Barthelii testimonium, quod brevitatis caussâ nonnisi ex parte referemus: Sic autem habet p. 34. „ Epi- „ scopi longe plurimi sunt in Ecclesiâ; quo autem plures sunt, „ eo citius inter multos reperiuntur contentiosi, pertinaces, scien- „ tiâ inflati, et Charitatis, vel etiam scientiae aedificantis ex- „ pertes. Locorum intervallis per totum Orbem distincti raro in

„ unum

„ unum coëunt adeo, ut non sit alia facultas cohibendi haereses,
„ et Schismata, utpote quae ut cancer serpunt, quam subordina-
„ tio, et dependentia illorum ab uno, et primo visibili Capite ne-
„ cessariâ, et eximiâ potestate eosdem in officio, ordine, et
„ communione continendi instructo, sine quo alioquin multitu-
„ do Episcoporum induceret confusionem, et saltem ad haereses,
„ Schismataque fovenda plus virium haberet, quam ad rectae fi-
„ dei consensionem, et unitatem Religionis promovendam, et
„ conservandam. Atque tota in eo conspirat veneranda Patrum
„ antiquitas, et constans Ecclesiae Traditio, Primatum Petri ne-
„ xum, et vinculum esse communionis Ecclesiasticae &c.„

Ex his porro intelligere facile potuit Febronius, quam necesse sit ad Fidei, Disciplinaeque conservationem, ut divisi per Orbem Episcopi Supremi Capitis auctoritate regantur; nec eam verbis tantum, et velut ad speciem observent, ac vereantur, quasi singulis Episcopis jus, fasque sit decreta, quae a Sede Apostolicâ eduntur judicio suo subjicere; ac, prout ea magis, vel minus convenire censuerint, ex arbitrii sui sententiâ recipere, vel respuere. Quam facultatem si singuli sibi Episcopi sumerent, nemo non videt futurum, ut ex eâ turpis illa confusio, totiusque ordinis perversio exoritura esset, quam non aliter praecaveri posse graviter monet Barthelius, nisi firma, et integra in capite maneat excellens illa potestas, quae singulos Episcopos in officio, ordine, et communione contineat.

Primatûs insuper necessitatem p. 36. Febronius vel ipsâ etiam illustrium inter Acatholicos virorum, Grotii videlicet, ac Leibnitii confessione confirmat. Quo loco velim ipse cogitet, num satis Catholicum Antistitem deceat, vix paullo majora, et aegre quidem Summo Ecclesiae Pontifici concedere, quam quae isti Acatholici rei perspicuitate convicti ultro ei detulerunt.

Jam itaque Febronius hoc ipso loco, dum Romani Pontificis Primatum vereri se profitetur, hoc tamen monitum addendum censuit „ Summus Pontifex Ecclesiae Caput est, non a corpore
„ independens, sicut Christus; sed ejus sustentatione, ac ope in-
„ digens, sine quâ suam firmitatem, vigorem, et dignitatem
„ amitteret, quemadmodum Sixtus III. scribebat ad Episcopos
„ Illyrici an. 437. apud Coustant Col 1272.„

Verum, ne quid ambiguitatis hic relinquatur, notandum,

qunm quis ab alio pendere dicitur, dupliciter id intelligi posse; vel quatenus alienae opis indiget, quemadmodum et Reges ipsi a subjectis Populis pendent; vel quatenus alienae auctoritati velut superiori obstrictus sit, quo pacto non Reges a Populis, sed Populi pendent a Regibus. Quod homo quisque alienae opis indigeat, id quidem humanae conditioni sic cohaeret, ut ab eâ separari nullo modo possit: Hâc propterea indigentiâ laborare Pontificem, opusque habere ab Ecclesiâ sustentari, ultro fatendum. Quod autem hoc sensu ab Ecclesiâ pendeat, quasi ab Ecclesiâ auctoritatem suam mutuetur, id vero nullo pacto concedendum. Neque alia sententia ex allato Sixti III. testimonio elici potest. Primum quidem eo loci non loquitur Sixtus nominatim de Ecclesiae Capite; sed, posteaquam Illyrici Episcopos monuit, ut Anastasio Thessalonicensi, cui suas vices commiserat, reverentiam exhibeant, quae Capiti debetur, tum ea verba subjicit, quae sunt a Febronio relata, ex quibus non aliud colligi potest, nisi sublatâ subjectorum obedientiâ praepediri quidem posse auctoritatis exercendae facultatem, non ipsam vim auctoritatis imminui.

POSITIO VI.

„ Quisquis contra singularem Petri Cathedram aliam collo-
„ cat, vel ab ejus communione per obedientiae negationem rece-
„ dit, Schismaticus est. „

ANIMADVERS.

AGnoscit, non pacto, non foedere, non ullo humano modo, sed Christi instituto factum esse, „ ut Beatus Petrus, et post illum
„ in hâc perpetuâ Ecclesiâ perpetuo quis adsit tamquam Caput vi-
„ sibile &c. „ Addit, „ tantam esse, tamque gravem obligatio-
„ nem in hâc unitate vivendi, ut qui etiam injuste ab eâ praeci-
„ sus non curat, ut in communionem recipiatur, separationem
„ ex propriâ contumaciâ approbare censeatur; proinde veluti
„ Schismaticus jure habeatur „. Tum prolato in hanc rem Nicolii testimonio rite perstringit eorum contumaciam, qui tamdiu patiuntur, se ab eâ unitate divelli „. Frustra igitur, *inquit*, non-
„ nulli eo se se nomine purgari existimant, quod a communione
„ Se-

„ Sedis Apostolicae se non separaverint, sed ab ipsâ Sede ex„ clusi, et separati fuerint, dum haec separatio ex eorum culpâ „ originem duxit, et pertinacia eorum in caussâ est, ne in com„ munionem recipiantur „. Utinam aliquando huic gravissimo Febronii monito isti pareant, intelligantque, ad Christi Ovile non pertinere, qui Pastoris a Christo Praepositi vocem refugiunt, aspernantur auctoritatem.

Demum Febronius eos pergit refellere, qui ad valorem excommunicationis consensum Ecclesiarum desiderant. Quâ de re superius dictum est.

POSITIO VII.

„ Primatus non ordinis, inspectionis, ac directionis tantum est, sed verae auctoritatis, et jurisdictionis „

ANIMADVERS.

SCripserat Febronius *primo illo libro*, quem *de statu Ecclesiae edidit*, *c.*1. §.XI. „ Principatum Summi Pontificis per univer„ sam Ecclesiam non tam esse jurisdictionis, quam Ordinis, & „ consociationis „ Respuit hâc suâ positione dictum istud a Catholico Dogmate nimium abhorrens, Romanumque Pontificem agnoscit, non honore tantum, ac dignitate, sed et auctoritate, ac jurisdictione praecellere (*a*).

(*a*) Qui Romano Pontifici collatum divinitûs honoris Primatum concedunt, juris, & potestatis negant, quaerere ex his non alienum videtur, num existiment, in eo constituendo Primatu Christum ad honoris gradum spectasse potius, quam ad munus, & officium Primatui adjunctum? Quis porro putet, Christum, qui ministrare venit, non ministrari, voluitque, ut qui Major inter suos futurus esset, minor fieret, dum unum caeteris praeposuit, de gradu honoris cogitasse, qui ad otiosam Personae amplitudinem dumtaxat pertineret, non de Vicariâ potestate, quâ universi Gregis utilitati, salutique prospiceret? Quid Ecclesiæ profuisset unum praeponi, cui primae tantum salutationes deberentur? At profecto non ea fuit ratio Principatûs a Christo in Regno suo, quod est Ecclesia, constituti. Unum selegit, cui claves commisit, quae, si potestatem significant in membris. qui-

Inter alia Primatûs jura istud initio commemorat „ quod „ mitterent Romani Pontifices subinde viros in Terras remotas, „ qui in Fidem inquirerent, et Primatis nomine, ac mandato „ de unitate aut servandâ, aut restituendâ invigilarent. Ejusmo- „ di Legatos, seu Nuncios (qui et Vicarii quandoque appellaban- „ tur) mittendi morem antiquissimum esse, & admodum fre- „ quentem „ pluribus monumentis demonstrat, concluditque „ „ has Legatorum missiones, quando eas unitatis, ac fidei ser- „ vandae necessitas postulat, cum ipso Primatu originarie con- „ nexas quisque facile intelligit. „

Verum, quod non sine intimo doloris sensu dicere cogimur, in exponendis deinceps Primatûs juribus sive in hujus Positionis explanatione, sive in totius operis decursu sic versatur Febronius, ut ea non illustrare, sed obscurare potius, atque in angustum contrahere, quoad posset, ac prope in nihilum redigere voluisse videatur.

In dirimendis controversiis, quae ad Fidem, Moresve pertinent, non aliud Pontifici tribuere videtur, quam ut ejus judicio velut *provisorio* magna reverentia debeatur, et a particularibus Ecclesiis exhibeatur eo etiam fine, eâque auctoritate, ut latius non serpant errores, grassenturque haereses. Quâ in re licebit quidem Febronio Gersonii, aliorumve recentioris aevi patrocinio uti, non item remotioris antiquitatis praesidio, cujus tamen ille studiosissimum se profitetur. Sane, quum in duplici Orientalium dissidio, cuinam scilicet ex Antiochenis Episcopis esset communicandum, atque utrum tres in Deo Hypostases, an una Hypostasis, et tres Personae dicendae forent, *Hieronymus* Damasi sententiam his verbis efflagitabat. „ Obtestor Beatitudinem tuam, ... „ ut mihi Epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum Hy- „ po-

---

quibus communicantur, multo eam excellentiorem demonstrant in Capite unum, cui Gregis sui et Oves, et Agnos pascendos tradidit: Unum, quem Fratres suos confirmare jussit. Quae munera omnem illam praestantem auctoritatem complectuntur, ac praeseferunt, sine quâ rite praestari nullo modo possunt. Quo satis intelligitur, non ita Petro, Petrique Successoribus collatam a Christo Primatûs dignitatem, ut in insigni quodam honoris, velut in magni nominis umbrâ consisteret, sed ut potestatis praestantiam pro salutari totius corporis regimine institutam ipsa, ut par est, praestantia honoris comitaretur.

„ postaseon detur auctoritas : „ Facile quisque intelligit, sic ab eo requisitam fuisse Apostolicae Sedis auctoritatem, ut in eâ tamquam in veritatis oraculo firme, tutoque conquiesceret; sic enim mentem ipse suam aperit *Epistolâ* 57. notissimâ (*a*). Sic dum *Basilius* ad Athanasium scribebat *Epist.69.* his verbis; quae recitantur a Febronio *p.46.* „ Visum est mihi, ut scribatur Epi- „ scopo Romano, ut quae hic geruntur, consideret, et senten- „ tiam expromat „, Putabimus, ab illis gravissimis, sanctissimisque Patribus non aliud expectatum fuisse, nisi pendens, et *provisorium*, quod nuncupant, judicium, quod animos ut antea dubios, incertosque relinqueret; non autem fixam, certamque sententiam, quae rem definiret, omnemque in posterum dubita-

(*a*) Edit. Vallars. I. class. XV. ad Damasum, quem *Doctor maximus rogat, ut sibi significet, an tres hypostases in Deo dicendae sint, vel tacendae; et cum quo apud Antiochiam communicare debeat*: „ Ego, *inquit*, nullum pri- „ mum, nisi Christum sequens Beatitudini Tuae, idest Cathedrae Petri, „ communione consocior. „ Praeclara verba, quibus ostendit Hieronymus ei, qui Christum sequi velit, necesse prorsus esse, ut Cathedrae Petri Communione consocietur: simulque, dum ait, *Beatitudini Tuae, idest Cathedrae Petri communione consocior*, plane significat, auctoritatem Cathedrae non in alio ab Hieronymo agnitam esse, quam in eo, qui Cathedram teneret: quo patet, quam longe recedant a Patrum mente, ac Sëntentiâ, qui Cathedram sejungere moliuntur ab eo, qui praeest Cathedræ. Sequitur porro Hieronymus: „ Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. „ Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si „ quis in Noë Arcâ non fuerit, peribit regnante Diluvio „ *Ac deinceps* „ „ Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque „ tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi „ est. Et n.5. „ Quamobrem obtestor Beatitudinem Tuam per Crucifixam „ Mundi salutem, per homousiam Trinitatem, ut mihi epistolis tuis sive „ tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas „ Quis non agnoscat eam auctoritatem hoc loco ab Hieronymo quaesitam, quae certum, fixumque judicium contineret? Epist. porro XVI., alias 58. ad eumdem Damasum „ In tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat . . . Ego „ interim clamito, si quis Cathedrae Petri jungitur, meus est; Meletius, „ Vitalis, atque Paulinus tibi haerere se dicunt . . . . idcirco obtestor „ Beatitudinem Tuam, ... ut mihi litteris tuis, apud quem in Syriâ „ debeam communicare, significes. „ Quibus verbis palam fit, de communionis necessitate cum Romano Pontifice non aliter Meletium, Vitalem, Paulinum sensisse, ac sentiret Hieronymus.

bitationem amoveret? Jure proinde Summus Pontifex Agatho non ad Sedis suae ostentationem, ut probe notat *Tournelius de Eccles. q.3. art.2.*, sed ad salutem publicam sic ad Imperatores scripsit: „ Petri adnitente praesidio haec Apostolica ejus Eccle-„ sia nunquam a veritatis viâ in quâlibet erroris parte deflexa „ est, cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Princi-„ pis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, et universales „ Synodi fideliter amplectentes in cunctis sequutae sunt; omnes-„ que Venerabiles Patres ejus doctrinam amplexi. „ Alia priscis e Saeculis petita ejusdem veritatis monumenta deinceps suo loco proferentur.

Hanc tot aetatum decursu delapsam ad se Patrum Traditionem collegit *Bernardus*, hisque verbis complexus est *Epis. 190. ad Innocentium* „ Oportet ad Vestrum referri Apostolatum peri-„ cula quaeque, et scandala emergentia in Regno Dei, ea prae-„ sertim, quae de Fide contingunt. Dignum namque arbitror, „ ibi potissimum resarciri damna Fidei, ubi non possit Fides „ sentire defectum. „

Pergit *Febronius p.48.* „ Si privatis Ecclesiis Judicio Sum-„ mi Pontificis non acquiescentibus mota controversia magis inar-„ descit, uti contigit in causâ Nestorianorum, Monothelitarum, „ Protestantium ita, ut malo levando unicum supersit Generale „ Concilium, tum ad praecipuum Romani Pontificis munus per-„ tinet cura, et opera, ut ex universo Orbe Episcopi Catholici „ convocentur sub Hierarchico ipsius praesidio ortas in Fide, et „ Moribus controversias ultimato, et inerrabili judicio decisuri: „ de quo nos infra ec. „

Ambigua sane oratio, ut mitius loquar. Aliud est agere de subortis erroribus efficaciter comprimendis: aliud de iisdem damnandis, controversiisque Fidei, ac Morum certo, nec errori obnoxio judicio dirimendis. Quod ad grassantis haeresis incendium restinguendum praesentem opem, eamque opportunissimam Concilii Generalis convocatio afferre quandoque valeat, facile id quidem dabitur. Quod vero evenire aliquando possit, ut citra Concilium error plane damnari, & suborta controversia de re ad Fidem, aut Mores pertinente *ultimato*, nec errori obnoxio judicio definiri nequeat, id verò a Catholico Dogmate abhorret plurimum.

De

De Legum ferendarum potestate sic statuit *Febronius p.*48 „ Potest itaque Pontifex pro Canonum exequutione, et observantiâ Leges condere, quas Episcopi tum solum non tenentur recipere, si particularium Ecclesiarum necessitas, vel evidens utilitas contrarium suadeat. „

Duo hic notanda sunt; primùm, condendæ legis potestatem non aliter, nisi pro urgendâ Canonum observantiâ Pontifici concedi: Alterum, Episcopos Pontificiis hisce legibus latis pro Canonum observantiâ tum solum teneri, si quidem particularium Ecclesiarum non repugnet necessitas, vel evidens utilitas.

Sed 1. non minorem Pontificum Decretis, quam Canonum Statutis vim inesse, tota sane antiquitas agnovit. Equidem perpetua haec laus fuit Apostolicae Sedis, ut sanctissimas Patrum Regulas et ipsa coleret summopere, et ab omnibus servari diligentissime curaret. Quo pertinet *Caelestini* dictum *apud Constant Praef. num.*41. *Dominentur nobis Regulae, non Regulis dominemur. Simus subjecti Canonibus, quum Canonum praecepta servamus*. Sed ne verbis illis putaretur Caelestinus, minorem vim tribuisse Pontificum Decretis, quam Canonum Statutis, continuo monet *Petrus Constant num.*42., *inter eas regulas, quibus non dominari, sed subesse vult Caelestinus, reponere ipsum non modo Synodorum Canones, sed Romanorum etiam Pontificum Decreta*. Siquidem Caelestinus, ut rite Coustant pergit animadvertere, „ duo hæc sane commendat, quum ait, *nulli Sacerdotum suos* „ *liceat ignorare Canones*; *nec quicquam facere, quod Patrum* „ *possit regulis obviare*: „ praesertim quum id proxime adjungat, „ *Quae enim a Nobis res digna servabitur, si Decretalium nor-* „ *ma Constitutorum pro aliquorum libito licentiâ Populis per-* „ *missâ frangatur?* Quâ in re videtur exemplum sibi sumsisse ex „ Aricio, qui postquam Himerium Tarraconensem *ad servandos* „ *Canones, et tenenda Decretalia Constituta cohortatus est*, „ *generale illud effatum pronunciat*: *Statuta Sedis Apostolicae*, „ *vel Canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum Domini* „ *ignorare sit liberum*. Unde manifestum est, piissimis illis „ Pontificibus persuasum fuisse, Episcopos omnes non minus Apo- „ stolicae Sedis Decretorum, quam Synodicorum Canonum scien- „ tiâ instructos esse oportere. „ Id ipsum probat insuper, quum celebri Gelasii testimonio, tum maxime Leonis Magni Decreto,

cujus

cujus intelligentiam egregie idem Scriptor vindicat adversus famosum Editorem, qui dum Leonis dictum, (Verba sunt Coustantii) „ ad suam de Codice Canonum a se vulgato sententiam accom- „ modare vult, ita id interpretatur, ut Lectoris animum a genui- „ no Leonis sensu longissime abducat „.

2. Loquitur allato loco Febronius de Legibus, quas condat Pontifex pro Canonum exequutione, & observantiâ. De his autem sic statuit, tum solum Episcopos non teneri eas recipere, *si particularium Ecclesiarum necessitas, aut evidens utilitas contrarium suadeat*. Proinde non ipsa solum lex Pontificia, sed et Canones, quorum urget ea exequutionem, et observantiam, cujuslibet singularis Episcopi judicio subduntur; eique permittitur, ut de Canonibus, quos vel Synodus Generalis ediderit, pro suâ prudentiâ judicet, num recipere illos, vel repudiare debeat. Repetat quaeso memoriâ Febronius (quos sane familiares habet) Synodorum pene omnium Canones, videatque, num in eis praesertim, qui primis saeculis prodierunt, vestigium extet ejus arbitrii, quod allato loco singularibus Episcopis tribuit; an non potius ipsae Synodi pro suo jure, et imperio decernant, ac praecipiant, quid ab Episcopis sibi subjectis servari omnino velint poenis etiam indictis adversus eos, qui conciliare statutum aut servare neglexerint, aut violare praesumserint. Quis non videat, si aliquando jus, fasque sit Episcopis latas a Pontifice, vel Concilio leges pro suo arbitrio amplecti, aut respuere, omnem superioris auctoritatis aciem hebescere, nihilque superesse, quo fusi per Orbem Episcopi efficaciter in ordine, et officio contineantur? quod si desit, nec supremâ Capitis Ecclesiae auctoritate praestetur, faedam prorsus orituram in Ecclesiâ rerum omnium perturbationem, confusionemque prudenter paullo ante monuit Barthelius.

Pag. 49. agit Febronius de jure, quod habet Pontifex, supplendae Praelatorum negligentiae; tum adjungit „ In hoc consi- „ stit jus *Devolutionis*, non in praecipiendis juribus Ordinario- „ rum, aut eorum functionibus, quum ipsi eas exequi possunt, „ et volunt, occupandis. Est autem jus illud Devolutionis *Su-* „ *premum*, quo laedi minime debent jura Devolutionum interme- „ dia Praelatis Pontifice inferioribus competentia „.

Videtur hoc loco Febronius negare, fas esse Pontifici jure ordi-

ordinario, seu aliter, quam pro supplendâ Praelatorum negligentiâ singulis in Dioecesibus munia exercere, quae propria sunt Pastoralis officii, quod idem est, ac velle supremo Ecclesiae universae Pastori universale jus pascendi eripere. Atqui tamen constat, Christum Petro, et in Petri Personâ Successoribus ejusdem Romanis Pontificibus jus istud pascendi et universale, et *immediatum*, ut vocant, contulisse.

Dico *Universale*. Quâ de re luculentum extat, ac celebre Bernardi Testimonium superiorum aetatum constantem Traditionem complectens *l. 2. de consider. c.* 8. „ Habent illi assignatos „ Greges, singuli singulos: Tibi universi crediti, uni unus. „ Nec modo Ovium, sed et Pastorum omnium tu unus Pastor... „ Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse ali- „ quas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur „ nihil „.

Dico *immediatum*. Et sane *Febronius ipse Posit. 36. p.* 227. statuit, *primitùs indivisum fuisse Episcopatum*: *Poterat* (addit ille) *quilibet Episcopus ubivis terrarum suam libere exercere potestatem*. Quod quidem, si de facto agitur, quam verum sit, in praesentiâ non disputo. Certe notum est, ab Apostolis Jacobum in ipsis nascentis Ecclesiae primordiis Hierosolymis praepositum fuisse; praetereaque alios aliis in locis constitutos Episcopos Actus Apostolorum, Pauli Epistolae, et Johannis Apocalypsis abunde testantur. Quod si ad jus quaestio revocatur, non contendet Febronius, eam potestatem, quam putat, Episcopos libere ubivis terrarum primitùs exercuisse, non fuisse Petri potestati subjectam. Quod si negaret, et cum Catholico Dogmate, et secum ipse confligeret. Quis proinde negaverit, quod quilibet Episcopus ubivis terrarum libere faceret, non idipsum pleniori, firmiorique jure Petrum, Petrique Successores facere potuisse?

Sed quod ad singulos Episcopos attinet, illud fortasse Febronium fefellit, quod a Petavio notatum superius retulit, nimirum Episcopos prius designatos, quam Ecclesiae Corpus coaluisset. Verûm aliud est, quod Episcopi ante designati fuerint, quam certis Gregibus assignati, quod unum ex Petavii dicto elicitur: aliud, quod ii Episcopi ubivis terrarum libere suam potestatem exercere possent, quod, ut mox videbimus, nullâ firmâ ratione nititur, certisque aliunde antiquitatis monumentis adversatur.

F Equi-

Equidem *Natalis Alexander Dissert.* 4. *in* 1. *sec.* id Episcopis tribuit, ut necessitate urgente etiam extra suas Dioeceses „ Ecclesiae subveniant in locis, quae Catholico Episcopo destituta „ sunt salvâ semper, et in omnibus Romani Pontificis auctoritate, quam Divino Jure, et immediate a Christo institutam, „ et acceptam obtinet „. Sic enim *Natalis* suam ipse mentem explicat *Schol.* 3., ostenditque, hoc differre facultatem illam, quam necessitatis, charitatisque caussa Episcopis tribuit, ab eminenti jure Summi Pontificis, quod „ Romanus Pontifex summam „ habeat, eamque *ordinariam* in Ecclesiâ universâ potestatem, „ et auctoritatem, quam non extraordinariis dumtaxat casibus „ (nec ideo pro supplendâ tantummodo Praelatorum negligentiâ), et Ecclesiae periculis, sed semper exercere potest, et „ in Fideles universos, et in ipsos Ecclesiae totius Episcopos, „ quia *Pastorum omnium unus est Pastor* „. Quae verba doctus Scriptor exscripsit ex S. Eucherio Lugdunensi, sive alio antiquo, ut ille putat, Episcopo Gallicano (*a*) *serm. de Nat. SS. Apostolorum*

(*a*) Adscribit haec verba Natalis Alexander (cit. Dissert. §. 1. n. 4.) S. Eucherio Episcopo Lugdunensi, seu alteri Episcopo Gallicano antiquo *in Sermone de Natali SS. Apostolorum Petri, et Pauli, qui cum aliis sub nomine Eusebii Emisseni falso circumfertur*. Equidem Homilias olim sub Eusebii Emisseni nomine vulgatas Brunoni Astensi potiori jure tribuendas multis est argumentis patefactum egregiâ Praefatione in hujus Commentaria in IV. Evangelia, quae an. 1775. Romae curâ, et studio Emi de Zelada in lucem prodierunt. Sed quod attinet ad Eucherium, monet Natalis Alexander de Scriptoribus Ecclesiasticis Sec. 5. art. 20., duos esse distinguendos Eucherios, unum seniorem, Juniorem alterum, utrumque Episcopum Lugdunensem; illum quinto, istum sexto seculo floruisse; additque „ Quin „ aliquae ex Homiliis illis, quae sub Eusebii Emisseni nomine circumferuntur, sint Eucherii Senioris, nullus dubitat „. Caeterum memoratus locus disertis verbis extat apud Brunonem Comment. in Johannem tom. 2. pag. 604. Insigne plane documentum vigentis eo aevo doctrinae, quam ex Superiorum Patrum traditione acceptam retulit Vir ille Sapientiae, ac Sanctitatis laude clarissimus. Nec enim, ut praeclare animadvertit praestans Auctor laudatae Praefationis pag. XV. „ novis sive interpretationibus efferendis, sive sententiis cudendis Scriptor hic allaborat; sed antiquiorum „ floribus veluti decerpendis, probatissimis scilicet explicationibus, institutionibus, documentis, effatis „. Quo semper magis elucet successio „ doctrinae a primis saeculis per medium aevum ad nos deductae „.

rum Petri, et Pauli: Pastorem Pastorum eum constituit. Pascit igitur Petrus Agnos, pascit et Oves; pascit Filios, pascit et Matres; regit subditos, et Praelatos. Praeiverat Johan. Chrysost. homil. 55. *in Matth.* = *Hieremiam uni genti Pater, hunc autem universo terrarum Orbi Christus praeposuit*. Hinc in magnâ Lateranensi Æcumenicâ Synodo sub Innocentio III. splendide jus idem universale in omnes Ecclesias Romanae Ecclesiae assertum est, quae, ut habetur *c.*5., *disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet Principatum, utpote Mater universorum Christi Fidelium, et Magistra*.

Haec sane universalis Ecclesiae regendae ordinaria potestas ab ipsius Ecclesiae ortu splendide in uno Petro emicuit. Post Christi Ascensum in Coelum, quum tota in Coenaculo collecta esset Ecclesia, unus eidem Petrus praefuit, atque in locum Judae alium sufficiendum curavit, quod ipsum proprio jure per sese praestare potuisse, luculentissime testatur S. Johannes Chrysostomus (*a*). Auctam suis primis concionibus Ecclesiam regere idem perrexit summâ semper, et ubique praesenti auctoritate usus sive in judicio Ananiae, et Saphirae, sive in invisendis Ecclesiis, quae post dispersionem multis locis per finitimas Regiones constitutae fuerant, quam peragrationem *in Actis Apostolorum cap.* 9. notatam facile quisque intelligit, non merae urbanitatis, sed pastoralis officii caussâ esse susceptam; sive inde *c.*10. quum genti-

 lita-

(*a*) Verba sunt Chrysostomi Comment. in Acta Apostolorum Homil.3.in Cap.1. n.2 „ Quid ergo? an Petrum ipsum eligere non licebat? Licebat utique: Sed ne videretur ad gratiam facere, abstinet. „ Paullo ante dixerat n. 1. „ Utpote fervens, cui Grex a Christo concreditus erat, atque „ ut primus in Choro, primus sermonem orditur „. Et inferius num 3. „ „ Primus auctoritatem habet in negotio, ut cui omnes commissi fuissent. „ Huic enim Christus dixerat: *Et tu aliquando conversus confirma Fratres* „ *tuos*. Primus ergo Petrus non Ordinis tantum gradu, sed et Capitis praestanti dignitate, atque auctoritate, utpote cui et Grex a Christo, et omnes sine discrimine commissi fuissent.

Pastoralis hujusce muneris, ac sollicitudinis in omnes Ecclesias extendentem sese auctoritatem praeclare confirmat Chrysostomus ex hàc ipsâ Petri Peregrinatione, quae refertur act. cap.9. v.31., quem in locum haec habet Homil. 21. num.2. „ Quasi Dux circuibat Ordines considerans, quae „ pars esset coadunata, quae ornata, quae suâ praesentiâ egeret . . . . „ Ubi periculum est, hic adest, et ubi quaedam dispensanda sunt. „

litatem totam ut in Ovile, sic in fidem suam recepit, quum nimirum jussus est Divinitùs Cornelius Petrum arcessere, simulque ipsi, et in ipso gentilitati toti imperatum, ut a Petro acciperet, quid ipsum facere oporteret.

Constat itaque, in ipso Christianae Religionis exortu totam Ecclesiam sub universali, et immediato Petri Regimine collectam constitisse. Subinde divisi Episcopatus; suus cuique Gregi Pastor assignatus; et id quidem Ecclesiae instituto, ut fatetur Febronius. Quae sane peculiaris assignatio Ecclesiae instituto inducta nil detraxit, aut detrahere potuit de primaevâ illâ generali assignatione, quâ Christus ipse universum Gregem ei commisit, cui suas universe Oves, suos universe Agnos pascendos commendavit.

Quin et alii Apostoli, dum in Ecclesiis, quas per diversa loca fundabant, Episcopos constituebant, non propterea potestate se abdicabant obeundorum in eisdem pastoralium munerum. Colligitur id ex act. c.15. „ Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam „ Paulus: Revertentes visitemus Fratres per universas Civitates, „ in quibus praedicavimus verbum Domini, quomodo se habeant:„ Tum ex cap.20. „ A Mileto autem mittens Ephesum vocavit Ma- „ jores natu Ecclesiae „. Sic etiam, quum idem Apostolus Titum reliquit Cretae, ut Pastores per Civitates constitueret, et quae deessent, corrigeret, non sibi, aut ipsimet Tito Pastorale Officium in eis Civitatibus interdicebat. Scite propterea in hanc rem *Thomassinus p.1. l.1. cap.6. n. 20.* „ Quum particulares ab „ initio conderentur Ecclesiae, Apostoli, ut mea fert opinio, „ qui earum Fundatores, et Parentes erant, non ita transcribe- „ bant in Episcopos eam auctoritatem, quam sibi creatione hâc „ spirituali pepererant, ut eâ se ipsi spoliarent „. *Additque* „ „ Atqui sola Apostolica Sedes Petri universalem hanc haeredita- „ tem adivit Apostolorum. „

Itaque in eâ temporum vetustate amplissima se prodit primarum Sedium in inferiores auctoritas, & jurisdictio. Viguit vero potissimum haec potestas in Alexandrinâ Sede, et Antiochenâ, utpote quae a Petro institutae fuerant, et a quo praecellentem illam auctoritatem manasse, indubitatis monumentis ostendit idem Thomassinus, ut proinde minime mirum videri debeat summum illarum Sedium obsequium erga Romanam Sedem, e cujus Divi-

Divino Primatu Ecclesiasticum suum Primatum fluxisse agnoscebant, ut invicte alio loco demonstravimus.

Quam late pateret Episcopi Alexandrini in subjectos Episcopos auctoritas, quum perspicuo Epiphanii testimonio, tum Epistolae Synodi Nicenae ad Alexandrinam Ecclesiam confirmat doctus *Abbas Bachinius*, *quibus recitatis concludit de Eccles. Hierar. Orig. pag.363. horum tenore manifestò constare, omnia Alexandrini Episcopi nutu peracta in quibuslibet Ecclesiis, aut Provinciis*. Ejusdem auctoritatis primarum Sedium in subjectos Episcopos argumentum suppeditat etiam *Canon 33.* inter Apostolicos, quibus primaevae disciplinae lineamenta in plerisque repraesentari Eruditi consentiunt. „ Episcopos uniuscujusque gentis nosse oportet „ eum, qui in eis est primus, et existimare ut Caput; et nihil facere, quod sit arduum, aut magni momenti praeter illius sententiam „. Non ignorat Febronius, quam multa in rem eamdem suppetant documenta, quibus abunde refellitur, quod ille semel, ac iterum insinuare aggressus est, Episcopos ab initio indefinitâ quâdam, ac plenariâ potestate suis in Dioecesibus regendis usos fuisse, quum aliunde constet, hanc potestatem multis in rebus restrictam fuisse non Canonum tantum statutis, sed et illâ pleniore auctoritate, quâ primarum Sedium Episcopi, qui subinde Patriarchae, Exarchae, Metropolitae dicti sunt, in inferiores sibi subjectas Ecclesias utebantur.

Et quidem quum excellentior haec auctoritas, quâ potiebantur Antistites, qui praecipuis illis (peculiaribus tamen) Sedibus praeerant, non Divino, sed Ecclesiastico instituto niteretur, haud mirum, non eam semper eodem gradu constitisse, sed pro temporum, ac disciplinae varietate, prout Ecclesiae utilitas postularet, amplificari subinde, aut restringi Canonum statutis potuisse. At potestatem a Christo datam quae humana potestas coërcere unquam potuit? Quis unquam Catholicus fas sibi esse putaverit, aliquam Christi Ovem ex ejus curâ subtrahere, cui omnes universe Oves suas pascendas Christus commisit? Quis Pastor Catholicus, dum recogitat, a Christo dictum Petro fuisse: *Pasce Oves meas*, Christi voci obstrepere audeat, ac dicere: Nolo hanc Ovem a Petro pasci, nisi dum eam Ego pascere neglexero; vel nisi mihi ejus pascendae facultas, aut voluntas defuerit?

Quae etsi perspicua sunt per sese, placet ea tamen praestantis

tis insuper viri (quem Febronius magni facere solet) auctoritate, ac testimonio comprobare. Is est *Thomassinus*, cujus haec sunt verba *p.* 1. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 9. „ Convenit Theologis, et Canonistis, Apostolis a Christo infusam plenitudinem potestatis Spiritualis, cui limites praefigere nefas sit ullos: Episcopos autem, etsi in Sedes Apostolorum evecti sint, non tamen in plenissimae hujus, et universalis potestatis totam amplitudinem vocatos omnes esse: Unam Petri Sedem interminatâ hâc, et universali auctoritate cumulatam esse, quâ pollebant Apostoli, et Petrus maxime, cui ea obtigerat cum singularis abundantiae privilegio. „

Et *num.* 11. „ Quin ex historiarum omnium testificatione constat, quocumque demum se contulerint Pontifices, velut propriâ in Ecclesiâ versatos esse, atque ut Summos Pastores, quibus Ovile suum credidit totum Christus. „

Num. 17. Laudato Betrando Augustodunensi Episcopo subjicit „ Quae tunc sane esset Gallicanae Ecclesiae sententia, liquidissime hinc, certissimeque exprimi potest. Hanc ergo primùm doctrinam adstruit velut a Leone Papâ, et a reliquis Patribus constitutam, Petro datas esse, Petrique Successoribus Claves, per quos aliis deinde Praesulibus consignentur. Origo hujus potestatis fluit a Deo immediate, videlicet a Christo tradente eam certae Personae, scilicet Petro pro se, et suis Successoribus, a quibus in alios derivatur. *Addit*, hâc potestate comprehendi universaliter omnes et Regiones, et Fideles, qui Pontifici Summo universi non minus morigeri esse debeant, quam privato quisque Pontifici suo. „

Num. 18. „ Non abs re erit id adnotare, quam tum doctrinam propugnabat Illustrissimus Ecclesiae Gallicanae Patronus, eamdem postea amplexatos esse Gersonium, Alliacensem, Almainum, Majorem, et coeteros Scholae Theologicae, et Parisiensis Lumina, quorum minime suspecta fides est; quos denique, nisi valde Hospes, causari potest nemo, amplificandae Romanorum potestati Pontificum plus aequo studuisse. „

Superius Thomassinus notaverat *num.* 14., Gersonium pro errore habuisse, *quod Papa non est immediatus Praelatus omnium Fidelium*; *nec Sponsus Ecclesiae Universalis*, *sed solius Romae*; *alioquin quaelibet Ecclesia Cathedralis haberet duos Sponsos*, *Papam*

pam, *et Episcopum*. Huic porro absurdo, quo error ille nitebatur, nimirum fore, ut quaelibet Ecclesia Cathedralis duos Sponsos habitura esset, occurrebat Gersonius comparatione ductâ ex Parochis, quorum proprias functiones dum explet Episcopus, non propterea duo in unâ Ecclesiâ Parochi censentur. Sane id absurdum sequeretur, ubi duo aequali auctoritate Antistites eidem Gregi praeessent; non ubi duo praesunt, quorum unus minori auctoritate pollens majori alterius auctoritati subjicitur.

Equidem Gersonius Papae immediatam auctoritatem in singulis Ecclesiis coërcere aliquâ ex parte videri poterat, quod statueret, eam *licite* non posse Pontificem sine justâ caussâ exercere, hoc principio scilicet ductus, non omni culpâ vacare quidquid nullâ justâ caussâ suscipitur. Sed hic, ut advertit Thomassinus, non jam de potestate ipsâ (quod attinet ad valorem actûs), sed de licito usu potestatis controversia instituitur; quae quaestio est alterius plane generis. Caeterum in dijudicandâ caussae justitiâ, vel convenientiâ potiores esse partes Summi Pontificis, nemo jure in dubium vocaverit exemplum sequutus Majorum, qui (ut etiam notat *Thomassinus n. 15.*) subortâ perplexitate de utilitate Ecclesiae *cesserunt ut plurimum Capitis auctoritati*, *et sapientiae*; *eique se commiserunt*, *etsi non satis intelligerent*, *quae rationis momenta Pontificem moverent*: Idque in Epistolis Bernardi luculenter emicare subjungit.

Non ejus indolis sunt, quae habet *Febronius p.52.* „ Observant quoque Theologi, praesertim Germaniae, nihil aeque absterrere Protestantes a reunione, et regressu ad Sinum Matris Ecclesiae, quam frequentes illas non necessarias, nec admodum utiles invasiones in jura, et Dioeceses Episcoporum. Audiendus hic *Thomassinus p. 1. l. 1. c. 6. n.1.*: *Si qui* (Romani Pontifices) *evagati sunt ultra hos modestiae limites*, *id oblivione*, *et silentio opprimi conducibilius est*, *ut ex quo nihil argumenti elici possit*, *nihil adjumenti ad posterorum mores regendos*. „

Haud decebat Febronium veterem illam, planeque ineptam criminationem refricare, quam praestantes Germaniae Theologos assensu unquam suo comprobavisse, adduci non possum, ut credam. Vigent adhuc, (quis nescit?) Protestantium veteres querelae adversus Romanam Sedem. At numquid modestiores fuere, aut

aut sunt erga Œcumenicum Concilium, cujus tamdiu patientiam, lenitatem, mansuetudinem defatigarunt? plena Charitatis monita, hortationesque contemserunt; auctoritatem aspernati sunt; Decreta, Definitionesque contumeliose irriserunt? Sed horum pervicaciae alia est caussa non latens, aut obscura. Praepostera libido de rebus ad Religionem pertinentibus proprio arbitratu, seu *privato spiritu* decernendi ea est, quae apud istos obstinatam peperit in auctoritatis contemtu pertinaciam, et in novis semper pariendis erroribus perpetuam levitatem, et inconstantiam.

Neque hic erat producendus Thomassinus. Non ille frequentes istas commentitias *invationes* memorat, quibus Romanam Sedem in odium, et invidiam adducat. Nimium absunt ab ejus hominis modestiâ voces istae plenae convicii, et acerbae in Apostolicam Sedem malevolentiae indices. Id unum innuit, si quid in dissidiis, quae nonnunquam Pontifices inter, et subjectos Praesules exarserunt, illos contigerit, aliquando extra modestiae limites evagari, hoc ipsum silentio, et oblivione obruendum. At quod haec sit potissima caussa, quae Protestantes a reditu in Sinum Matris Ecclesiae deterreat, nec ille dixit aliquando, nec in religiosum ejus animum tam absona cogitatio cadere unquam potuit.

POSITIO VIII.

„ Primatus perpetuus est in Petri Successores Romanos Pontifices jure Divino transiens „.

POSITIO IX.

„ A Romanâ Sede ad aliam transferri Primatus nequit „.

ANIMADVERS.

DIversas recenset de hâc re sententias; Et primùm quidem, quam statuit *Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. lib.* 2. *c.* 1. §. 1., cui meritò videtur, sustineri non posse illorum opinio, qui Primatûs connexionem Sedi Romanae ita esse de jure humano contendunt, ut possit ab Ecclesiâ dissolvi. „ Quare, *inquit*, jure „ ac

„ ac meritò ejusmodi paucorum opinionem refellunt Melchior „ Canus, Gregorius de Valentiâ, aliique non pauci Theologi etc.

Deinde sententiam profert Febronius D. Rautenstrauch, scilicet „ Quamdiu praeter merum Petri factum nihil profertur „ amplius, non satis nexus ille Primatûs cum Sede Romanâ jure „ Divino necessarius intelligitur, ut neque adeo sit, cur Ecclesiae pro eâ, quâ pollet in administrando Imperio Sacro potestate, jus electionis libere attribui isti non debeat „.

Affert demum doctissimi Viri Petri Ballerinii opinionem, qui, *hanc translationem ab Ecclesiâ fieri posse negans*, *eamdem a Pontifice perfici posse non abnegat*.

His recitatis opinionis libertatem tribuit legenti, quo non parum Positionis suae firmitatem labefactat: Aliquale tamen suum judicium interponit, nimirum „ Etsi forte in sensu absoluto Primatus aliò transferri valeat, id tamen in sensu morali fieri nequaquam debere; proinde nec, juridice loquendo, posse „. Multas in hanc rem tot Saeculorum decursu, saepeque repetitas occasiones profert, quae de transferendâ Primatûs Sede cogitationem aliquam injicere potuissent; Ethnicorum Imperatorum saevitiam in Romanum Sacerdotium; Gothorum invasiones, itemque Longobardorum; tumultuantis identidem Plebis Romanae in Pontifices violentiam, quae haud raro eosdem abesse coëgit; longam per septuaginta annos Pontificum in Civitate Avenionensi permansionem, quin Sedem Apostolicam ab Urbe separarint. Quum igitur tot, tantisque oblatis occasionibus nunquam cogitatum fuerit de transferendâ Petri Cathedrâ, *haud obscure colligitur*, *Ecclesiam unâ cum Pontificibus judicasse*, *id Divinae Voluntati minus futurum conforme*. His addit justum metum a periculo Schismatis, ac demum auctoritatem *Nicolai I. Epist.* 8., *quae est ad Michaëlem Imperatorem*: „ Privilegia illius Sedis, vel Ecclesiae „ perpetua sunt: Divinitûs radicata, atque plantata sunt: Impingi possunt, transferri non possunt: Trahi possunt, evelli non „ possunt „.

Profecto nil erat caussae, cur minus firme Febronius in gravissimâ, verâque omnino Benedicti XIV. sententiâ permaneret. Unum illud, quod contra facere videtur, nexum Primatûs cum Romanâ Sede ex Petri facto pendere, nullius omnino momenti est. Multa quippe sunt, quae ut sint, et existant, factum huma-

humanum praerequirunt: statim autem, atque facto humano prodierunt, Divino plane jure sanciuntur. Facto humano ineuntur foedera Nuptiarum; quis propterea neget, a Deo plane conjungi, qui sponte, ac libere in hanc legitimam, et individuam societatem coëunt? Quod Baptismus conferatur, factum est humanum; quod per Baptismum rite susceptum Christianae quis Militiae indelebili caractere adscribatur, jus est, institutumque Divinum. Factum est humanum, quod singularis Homo in Petri Successorem eligatur; quod in Petri Successorem transeat Primatûs potestas, jure id, institutoque Divino fieri, nec ipse diffitetur *Febronius p.* 40. Non ergo confundendum factum cum jure, quod posito facto Divinâ institutione exoritur: Factum quidem interponitur, idque humanum; sed eo posito praeviâ Christi institutione jus ipsum Divinum exserit sese, et explicat. In Primatûs nexu cum Romanâ Sede factum humanum in eo situm est, quod eam Petrus propriam sibi, ultimamque Sedem delegerit; quod ipsum etiam Divino instinctu, et monitu fecisse credi par est (*a*); Quod vero Primatus ad eam Sedem pertineret, quam Petrus hoc pacto delegisset, id porro illi Divino instituto acceptum referendum est, quo Christo placuit Primatum Petro, ejusque in suâ Sede Successoribus in aevum demandare.

Sed praeterea Febronii Positio iis argumentis nititur, quae omnem illi scrupulum eximere debuissent. 1. contraria opinio caret omni antiquitatis praesidio; quin potius innumera pene veterum Patrum testimonia colligi possent, quibus eadem sententia continetur, quae in laudatâ superius Nicolai I. epistolâ exprimitur. Quae porro in opinionibus ad Religionis statum pertinentibus certior nota falsitatis, quam novitas? Quid vero si haec ipsa novitas ex impuro fonte primùm emersisse comperiatur? Atqui primus, qui de Primatûs translatione vocem extulerit

(*a*) S. Leo serm. 1. de SS. Apostolis Petro, et Paulo „ Beatissimus Petrus Princeps Apostolici Ordinis ad Arcem Romani destinatur Imperii, „ ut lux veritatis, quae in omnium Gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum Mundi Corpus effunderet „. Congruit sententia S. Thomae 3. p. q. 35. art. 7. ad 3. „ Et ideo, ut (Dominus) „ suam Potestatem magis ostenderet, in ipsâ Româ, quae Caput Mundi „ erat, etiam Caput Ecclesiae suae statuit in signum perfectae Victoriae, „ ut exinde Fides derivaretur ad universum Mundum „.

rit, non alius a Febronio perhibetur, *primo suo libro c.2.§.3.n.4.*, quam audax ille Photius, qui per summam imprudentiam, ut ipse ait, contendebat, translatâ Sede Imperii Primatum simul in Ecclesiam Constantinopolitanam commigrasse; quod antea nec tentatum, nec fieri posse auditum unquam erat.

2. Cl. Bossuetius, quem Febronius celebrat velut recens Sydus, a quo se nunquam recessurum profitetur, *p. 72.*, quemque *Defensionis* Auctorem agnoscit, in hâc ipsâ *Defensione p.1. l. 1. c. 15.* pro firmo, constitutoque habet, nusquam evenire posse, ut Primatus in Romanâ Sede desinat. Verba ipsa recitabimus: „ Quod autem Driedo nunquam futurum docet, ut in Urbe „ Româ, in Romano Solo Fides, et Primatus intereant, id qui„ dem non video, ut in Nos intorqueri possit. Neque enim Cle„ rus Gallicanus somniavit fore, ut Romana Ecclesia particula„ ris, seu Romana Dioecesis cum Episcopo, et Plebe suâ peni„ tûs intercidat, Populusque Romanus totus cum suo Pontifice a „ Fide abrumpatur, et Primatus Ecclesiae alio transferatur „.

Paullo ante dixerat: „ Id quidem Driedo docuit, nunquam „ Romae eventurum, quod nos ultro amplectimur; atque insu„ per addimus, quantumcumque in Romam fremerent Inferorum „ Portae; ac Sacrae Urbis, quod absit, fundamenta concute„ rent, non propterea praevalituras contra Petri Cathedram; „ sed eam semel a Christo Ecclesiae Catholicae datam, inte„ gram permansuram; Sedique Sacrosanctae modo, quo scive„ rit, provisurum Deum .... V. etiam p. 2. l. 15. c. 36. „.

Nec vero aliud innuunt verba ipsa *declarationis*: Enim vero in ipso exordio Praesules abhorrere se maxime testantur ab illis, „ qui Primatum Beati Petri, ejusque Successorum Romanorum „ Pontificum a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus „ obedientiam, Sedisque Apostolicae, in quâ Fides praedicatur, „ et unitas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus Gentibus „ Majestatem imminuere non verentur „. Profecto, qui a Christo institutum et Petri, et Successorum ejus Romanorum Pontificum fatentur Primatum, longe absunt ab eâ mente, ut putent, successionis hujus reverendam omnibus Gentibus Majestatem Romanis Pontificibus eripi posse; aliamque Sedem, aliam Cathedram ubivis terrarum decerni, in quam Primatus transferatur.

3. Constantiense Concilium hanc inter caeteras damnavit

Vicleffi propositionem . ,, Non est de necessitate salutis credere, ,, Romanam Ecclesiam esse Supremam inter alias Ecclesias ,, . Jam verò quae credenda sunt de necessitate salutis , temporibus non commutantur . Quod ergo de Romanâ Ecclesiâ Synodus credendum decrevit, id omni aetate a Catholicis et creditum fuit , et credendum erit . Fieri ergo non potest , ut Romana Ecclesia desinat esse Suprema inter alias Ecclesias : Desineret autem , si Primatus ab eâ divelli , et in aliam Sedem transferri posset .

POSITIO X.

,, Concilio Florentino Æcumenici nomen debetur ,, .

POSITIO XI.

,, Plena potestas pascendi , regendi , gubernandi universa- ,, lem Ecclesiam Romano Pontifici a Christo tradita in Concilio ,, Florentino declaratur ,, .

ANIMADVERS.

EO spectat magnâ ex parte Febronii explanatio, ne quis existimet, Concilii Florentini Decreto detractum quidquam fuisse opinioni eorum , qui in Concilio Æcumenico praestantiam quamdam auctoritatis prae Pontificiâ auctoritate agnoscunt . Et quidem quum latina lectio habeat : *Quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum , et in Sacris Canonibus continetur* , monet , alios legere : *Quemadmodum et in actis Conciliorum , et in Sacris Canonibus continetur* ; ut sensus sit : *juxta eum modum , qui et in gestis etc.*

Non hic repetam , quae ad veram lectionem vindicandam scripsere Viri doctissimi , et graece scientissimi . Tres Graecarum vocum latinas interpretationes memorat *Tournelius Tract. de loc. Theol. de Concil. Florent.* Nil opus habemus Grammaticas ambages persequi . ,, Satis sit , *inquit idem Tournelius* , imprae- ,, sentiarum cum *Illustr. Bossuet. in Defens. p. 2. l. 10. c. 10.* ,, observare , certum esse , Graeca aeque , ac latina Concilii Flo- ,, rentini acta sacro approbante Concilio Eugenii nomine esse ,, edi-

„ edita : Porro in actis latine exaratis sic legitur : *Quemadmodum* „ *etiam etc.* Id vero ita esse, constat ex Concilii Florentini Co- „ dicibus, qui in nobili Bibliothecâ Colbertinâ Eugenii, ac Mi- „ chaëlis Imperatoris signis muniti asservantur „. An porro dubitandi locus, quin ea sit authentica latina lectio, quae sacro approbante Concilio edita fuerit ?

Quamquam et istud addendum, nihil vulgatam lectionem praesferre, quod cum antiquioribus Oecumenicis Synodis, etiam in Oriente habitis, non plane consentiat. In octavâ Generali Synodo eadem eluxit Patrum de Supremi Pontificis auctoritate sententia, quam ne quis suspicetur vel leviter a nobis inflecti, placet verbis uti, quibus illam exposuit *Natalis Alexander Dissert. de Photiano Schismate* §.13. „ Post haec (act.I.) jubentibus Le- „ gatis Apostolicis lectus est libellus, cui subscribere deberent „ universi Episcopi, Sacerdotes, Clerici, & Monachi : quo ni- „ mirum cunctas primùm haereses execrati, et inter alias Ico- „ nomachiam, anathema Photio dicere debebant, donec Sedis „ Apostolicae Decretis paruisset; Actaque Conciliabuli contra „ Sedis Apostolicae reverentiam congregati eodem anathemate „ percellere : Se denique amplecti Synodos a Nicolao Pontifice „ Maximo, et Hadriano ejus Successore in Causâ Photii, et Igna- „ tii Romae celebratas, profiteri debebant. Magnificum sane „ Primatûs Romani Pontificis argumentum, quod libellum, seu „ formulam ad Synodum Oecumenicam miserit ab omnibus Ordi- „ nis Ecclesiastici Viris subscribendam, qui Communionis Sedis „ Apostolicae participes esse vellent. Observatione digna sunt „ haec verba : *Quia non potest Domini Nostri Jesu Christi prae-* „ *termitti sententia dicentis : Tu es Petrus, et super hanc Pe-* „ *tram aedificabo Ecclesiam meam ; haec, quae dicta sunt, rerum* „ *probantur effectibus, quia in Sede Apostolicâ immaculata est* „ *semper Catholica servata Religio, et Sancta celebrata doctri-* „ *na. Ab hujus ergo Fide, atque doctrinâ separari minime cu-* „ *pientes, et Patrum, & praecipue Sanctae Sedis Apostolicae* „ *Praesulum sequentes in omnibus constituta anathematizamus* „ *omnes haereses simul cum Iconomachis; anathematizamus etiam* „ *Photium ec.* Observare etiam operae pretium est illa verba : „ *Sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et observantes omnia* „ *ejus constituta speramus, ut in unâ communione, quam Sedes*

„ *Apo-*

„ *Apostolica praedicat*, *esse mereamur*, *in quâ est integra*, *et ve-*
„ *ra Christianae Religionis soliditas*, *promittentes etiam seque-*
„ *stratos a Communione Ecclesiae Catholicae*, *idest non consen-*
„ *tientes Sedi Apostolicae*, *eorum nomina inter sacra non esse re-*
„ *citanda Mysteria*. Vides idem esse sequestratum esse ab Eccle-
„ siae Catholicae communione, et non esse consentientem Sedi
„ Apostolicae. Libello subscribere debebant Episcopi cum Te-
„ stibus, ac subscriptionem suam Legatis Apostolicis tradere.
„ Perlectum libellum Synodus approbavit universa. „

Quid porro in Florentinae Synodi definitione exprimitur, quod in hâc octavâ Synodi actione non amplissime contineatur? Ut semper magis pateat, Oecumenicas Synodos in Spiritu Sancto legitime congregatas eo Spiritu regi, et gubernari, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Ergo definitum in Florentinâ, quod actum, expressumque in octavâ cernimus; quod in sextâ, et aliis perinde servatum suo loco visuri sumus.

POSITIO XII.

„ Pontificia haec potestas non potest esse sine conveniente
„ auctoritate, jurisdictione, ac coactione, ad quam etiam per-
„ tinet poena excommunicationis. „

ANIMADVERS.

Opportune Febronius hanc Positionem comprobat auctoritate Caelestini I., *tum usu*, *& disciplinâ antiquissimorum Saeculorum*. Quam in rem profert excommunicationem a Victore intentatam in Episcopos Asiae ob præposteram Paschae celebrationem, ubi se Irenaeus pacis sequestrem sic interposuit, ut simul fatente Febronio agnoverit *eam in Summo Pontifice potestatem*, *et jus*, *quo Ecclesias particulares*, *ut ut multas*, *valeat ob contumaciam ab universae Christi Ecclesiae corpore amputare*. Idem memorat evenisse in causâ Rebaptizantium, tum in Apollinaris Laodiceni, atque Timothei Berytensis depositione, et condemnatione, quam a Damaso Papâ bis Orientales petierant. Ad-
ditque

ditque, nimis longum futurum, nec necessarium caetera ex antiquis percensere, quibus idipsum comprobatur.

Subinde vero *p.*78. depromit *ex Petro de Marcâ Concord. l.*8. *c.*10. *num.*3. sequentem sententiam „ Si jam haeresis in Sy-„ nodo damnata fuisset, quemadmodum Eutychiana in Concilio „ Chalcedonensi, tum, si Patriarchae communionem Hæretico-„ rum amplectebantur, deponi poterant a Romano Pontifice, et „ Synodo Romanâ; neque necessaria erat Synodus Oecumenica. „ Eo enim casu Papa se tantum praestat *Exequutorem Sententiae* „ *latae* adversus Auctores haereseos, et eorum complices.

Si hanc Petri de Marca Sententiam Febronius hâc mente protulit, ut suaderet, in ejusmodi judiciis non alias esse Pontificis partes, quam ut Exequutorem se praestet sententiae a Synodo latæ adversus Auctores haereseos, eorumve complices, apertissime refellitur vel ipsâ, quam modo commemoravit, Apollinaris, ac Timothei condemnatione, quam a Damaso Papâ non in vim antecedentis cujuspiam Sententiae, sed ex propriâ, Supremâque Sedis Apostolicae auctoritate rogantibus Orientalibus factam, perspicitur ex ejus Epistolâ Synodicâ apud Theodor. Hist. Eccles. l. 5. c. 10. „ Scitote, *inquit*, quod profanum olim Timotheum, Apol-„ linarii haeretici Discipulum, cum impio ejus Dogmate damna-„ vimus: „ Et in libello Synodico, de quo *Coustant p.* 491. „ Petrus (Alexandriâ pulsus) Romam contendit, eoque recepto „ Papa Damasus Romae Divinam, et Sanctam Synodum convoca-„ vit, quae amentem illum Apollinarium . . . . . anathemate „ damnavit „ Nec praetermittit Coustant Auctores quoque pro-„ ferre Sozomenum, et Rufinum diserte testantes, Apollinarii „ haeresim primùm a Damaso praesente Petro Alexandrino dam-„ natam esse.

Praeterea, ut alia multa omittam, impura Joviniani haeresis uno Romanae Sedis judicio penitùs ab initio convicta est, ac reprobata. Quod ex Epistolâ ipsâ Siricii ad Mediolanenses, quorum e finibus Jovinianus excesserat, seu expulsus fuerat, constat apertissime. Statim enim, atque ad Siricium delata fuerunt nefaria Joviniani Dogmata, *facto*, inquit, *Presbyterio constitit, doctrinae nostrae, idest Christianae Legi esse contraria: Statutum adeo, ut Incentores novae haeresis Divinâ Sententiâ, et nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent.* Mediolanenses,

ses autem Patres, Ambrosius scilicet, Maximus, aliique plures ex vicinis Provinciis ad Synodum vocati Antistites assensum suum Pontificis Sententiae sic adjunxerunt, ut ejus judicium non aliquo pacto retractandum, sed in eo prorsus conquiescendum existimarent. Nam ab ipso Synodalis Epistolae initio Pontifici Romano Ecclesiae januam commissam agnoscunt, ut Ovile Christi custodiat, ejusque sollicitudinis partes esse, ut et Oviculas Christi noscat, et Lupis velut providus Pastor occurrat, ne morsibus perfidiae suae, feralique ululatu Dominicum Ovile dispergant; tum inter argumenta, quibus pestiferos Joviniani errores refellunt: *Credatur*, inquiunt, *Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & servat*. Demum concludunt: *Itaque Jovinianum, Auxentium &c. quos Sanctitas Tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos*. En itaque damnatam a Siricio novam haeresim, quin ullo antea generalis, aut provincialis Concilii decreto damnata esset; damnatos simul haeresis Auctores, ac Promulgatores; tantamque vim in suo Decreto Siricium agnovisse, ut dicere non dubitaverit Divinâ Sententiâ damnatos, qui Romano illo judicio damnati fuerant: Ambrosium porro, Maximum, aliosque Synodi Mediolanensis gravissimos Patres non aliter, quam secundum id judicium de causâ illâ statuendum censuisse. Non igitur hic merum se Siricius exequutorem praestitit Sententiae ante a Concilio Generali latae. Primus ille sententiam tulit, quâ et in novae haeresis Auctores animadvertit, et haeresim ipsam certo, fixoque, nec revocando judicio damnavit.

Ante Concilium Ephesinum, ut refert *Natalis Alexander Hist. Eccl. sec.* v. *c. 3. art.* 12. *an.* 430., Caelestinus I. acceptis quum Nestorii, tum Cyrilli Epistolis Romae Synodum suam habuit, in quâ Excommunicationis, et depositionis lata sententia est in Nestorium, nisi intra decimum a denuntiatione diem errores suos apertâ, et scriptâ confessione damnaret; restituti quoque in Ecclesiae communionem, qui propter Fidem a Nestorio ejecti fuerant. Deinceps eodem anno Cyrillus Pontificiâ auctoritate instructus ad sententiae in Nestorium latæ, nisi resipisceret, exequutionem, Concilium suum Alexandriae coëgit. Persuasum itaque Cyrillo erat, totique Synodo, a Romano Pontifice ferri posso excommunicationis, et depositionis sententiam adversus contuma-

macem novae haeresis Auctorem, quin expectandum foret, ut latae ante a Concilio Generali Sententiae merum exequutorem se præberet.

Etiam *Natalis Alexander Hist. Eccl. Sec.* VI. *c.* 5. *artic.* 18. Posteaquam retulit Synodi Aurelianensis V. an. 549. Canonem primum, quo Nestorii, et Eutychetis Sectae damnantur, *quas etiam Sectas Sedes Apostolica Sancta condemnat*, probe animadvertit, non ignorasse Gallicanae Ecclesiae Patres, haereses illas in Synodis Ephesinâ, et Chalcedonensi damnatas; „ tamen Apostolicae „ tantum Sedis in suo Decreto meminisse ratos, satis esse, quum „ de Fidei Dogmatibus ageretur, si sanciretur Constitutio, quae „ Romanae Sedis niteretur auctoritate, cui refragari nullus „ deberet. „

Addit in Scholio, „ Constans haec, et perpetua sententia „ mea, qui et Jansenianam, & novissime Quietistarum haere- „ sim a solis Romanis Pontificibus, non ab aliquâ Synodo legi- „ time damnatas agnosco, atque profiteor, et Innocentii X., Ale- „ xandri VII., Innocentii XI. contra illas haereses constitutioni- „ bus neminem refragari debere, vel posse secundum praecla- „ ram illam Ivonis Carnotensis Episcopi sententiam: *Sedis Apo-* „ *stolicae judiciis, et Constitutionibus obviare plane est haere-* „ *ticae pravitatis notam incurrere*. „

Pag. 79. Disserens Febronius *de sobrietate* in ferendis Censuris adhibendâ scribit: „ Haec sobrietas ad duo potissimùm „ respicit: 1. ut nulla in processu adversus contumacem commit- „ tatur substantialis nullitas sive in Fori competentia, (quae „ in primâ instantiâ penes Ordinarios est. Trid. Sess. 24. c. 20. de „ Reform.); sive in Citatione, Rei legitimâ defensione, moni- „ tionibus ec. Aliàs judicium, etiamsi a Pontifice latum, unâ cum Censurâ invalidum est. „

Quod substantialis, ut vocant, nullitas nullum reddat quodvis judicium, prorsus liquet. Verum, si primam coram Ordinario instantiam sic ad judicii substantiam pertinere contenderet Febronius, ut eâ omissâ judicium Pontificis invalidum redderetur, in tali praeposterâ opinandi ratione plane convinceretur a Tridentino eo ipso capite, ad quod ille se refert. Ibi Concilium, rationem praescribens tractandi causas ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, decernit quidem illas, etiamsi Beneficiales sint, in

primâ instantiâ coram Ordinario Locorum dumtaxat cognoscendas; At simul prospiciens, hoc suo Decreto propriam Supremae Sedis auctoritatem coërceri non posse, mox subjungit „ Ab his „ excipiuntur causae, quae juxta Canonicas Sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandae; Vel quas ex urgenti, rationabilique caussâ judicaverit Summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum Sanctitatis Suae manu propriâ subscribendum „ committere, aut avocare. „

POSITIO XIII.

„ Romanus Pontifex est Supremus Judex controversiarum „ in rebus Fidei, et Morum. „

POSITIO XIV.

„ Fieri non potest, ut a verâ Fide aberret Corpus Episcoporum Capiti suo Romano Pontifici adhaerentium. „

ANIMADVERS.

EXpositione suâ inflectit Febronius positiones istas in eum sensum, qui magis favet opinioni, quae Gallicanâ declaratione continetur. Quâ de re id solum hoc loco notabimus, minus eum, quam aequi aestimatoris munus postulabat, sollicitum se, & accuratum praebere in contrariis rationibus expromendis. Affert nihilominus *pag.*82. *Thomassini* locum *Dissert.*4. *in Syn. Gangren.*, cujus hæc verba sunt. „ Constat abunde tot testimoniis, Ecclesiis, Episcopis omnibus sive Synodice, sive extra Synodos solâ execratione novitatis haereses exorientes damnantibus vel „ praeisse, vel accessisse, vel successisse Sedem Apostolicam, „ & summum Auctoritatis pondus, et vim ineluctabilem, atque „ universalem adjecisse . . . . Nunc quid caeterae sequerentur, „ ipsa dictare occupabat certa de membrorum suorum consensu, et obsequio . . . Tum demum, quum Roma probasset, sive „ præciperet Romana Ecclesia fidem omnibus amplectendam scribere, plerumque temporis semper auctoritatis ordine Caput „ Mem-

„ Membris anteibat. „ Melius ex hoc testimonio, quam ex quibusdam aliis ab eo prolatis cognoscere Febronius potuit, vim, et sententiam antiquae Traditionis de Romani Pontificis auctoritate in damnandis haeresibus. Sed de hâc totâ quaestione, ut dictum est, nullam in praesens disputationem suscipimus: Scilicet alia sunt Febronii propria toto sui operis decursu, quae dictae declarationis limites longe praetergrediuntur.

Pag.89. In primi sui libri defensionem profert Febronius auctoritatem D. Eybel. ajentis: „ Febronium haudquaquam negare „ infallibilitatem Ecclesiae dispersae; sed tantummodo cautelas „ circa asserendum communem Ecclesiae consensum, & deducendas inde universalis Ecclesiae sententias proponi. „ Fortassis Eybelium fugerat Febronii locus *c.6.* §.8. quo statuit, „ parum „ firmam esse illorum sententiam, qui a plurimâ parte Episco„ porum definitioni Romani Pontificis extra Concilium adhae„ rentium ultimatum, et irrefragabile judicium constitui exi„ stimant. „

Et quandoquidem opiniones, quas valde amavimus, sic interdum in penitioribus animi recessibus delitescunt, ut identidem nobis nec advertentibus erumpant, supra locum notavimus, quo in hoc etiam Commentario non abhorrentem ab hoc errore sententiam passus est Febronius, imprudenti sibi excidere. Extat locus *Posit.7. num.3.*, quo motis de Fide, et Moribus controversiis, privatisque Ecclesiis judicio Pontificis non acquiescentibus contingere posse innuit, ut non aliud malo levando remedium supersit, quam Generale Concilium, a quo ultimato, & inerrabili judicio controversia decidatur, quasi aliquo tempore destituta esse queat Ecclesia totâ eâ auctoritate, quae ad ultimatum, et inerrabile judicium requiritur.

Nec vero alienum a praesentis instituti ratione censemus paullum hic a Febronio deflectere, atque opportunitate uti, quam locus ipse affert, notandi gliscentis quorumdam erroris, qui Romanae Cathedrae Principatum in id redigere velle videntur, ut in Causis Fidei sententiam exploret cæterarum, quae per Orbem dissitae sunt, Ecclesiarum; ut scilicet collatis, quae undique ad se veniunt, relationibus, earum veluti summam colligat, quâ institutâ, qui sit de quovis capite controversiae universitatis sensus, ac fides, dispiciat, ac referat. Capitalis sane error, nimium-

 que

que abhorrens a perpetuâ Patrum Traditione, quâ Catholica sentiendi ratio continetur. Quod quum abunde intelligi potest ex his, quae pro vindicando, ac generatim asserendo Romani Pontificis Primatu egregie scripta sunt a multis, satis nobis fuerit locum attigisse.

Perpetua equidem haec fuit Patrum Traditio, Ecclesiam universam ex singularibus Ecclesiis conflatam nec deficere, nec errare in Fide unquam posse. Simul vero constans illorum sensus fuit, si qua de aliquo doctrinae capite controversia suboriretur, minime propterea opus esse singularum Ecclesiarum sententias colligere, quod nec satis commode, nec ullo modo plerumque fieri posse, ipsi probe intelligerent; sed hanc dirimendae controversiae viam, rationemque patere tutam aeque, ac expeditam, ut ab Apostolicis Ecclesiis credendi regula peteretur, maxime vero a Romanâ Ecclesiâ, in quâ teste *Augustino Epist.43. semper Apostolicae Cathedrae viguit Principatus*. Invicta hujusce Traditionis Supremam Apostolicae Romanae Cathedrae in tradendâ credendi regulâ auctoritatem testantis monumenta inferius proferentur.

Sed primùm ab his, qui has tantum volunt esse partes Pontificis, ut de proposito capite doctrinae singularum Ecclesiarum sensum roget, ac referat, quaeri potest, num in hoc explorando, referendoque sensu existiment, Romanos Pontifices errare posse, nec ne? Si negas, errare posse; multo itaque minus errare poterunt in declarandâ Traditione, ac Doctrinâ, quam ab Apostolis, ut expresse ajunt Patres mox laudandi, in Ecclesiâ suâ perpetuâ successione per Majorum manus acceperunt, ac tot saeculis incorruptam servarunt. Sin ais, posse illos errare, jam nulla superest via, quâ Ecclesia dispersa in exortâ quâvis controversiâ statuere possit, quae sit Fidei regula. Nam quum id statui nequeat, nisi perspecto Universitatis sensu, aliunde vero nemo sit in Ecclesiâ, nec ipse Pontifex, qui certum de illo sensu testimonium edere valeat, liquet profecto, nullum Ecclesiae dispersae praesidium superesse, quo possit ad certam de institutâ controversiâ Fidei regulam tradendam pervenire. *(a)*.

Hic

(a) Fateor, si quis renuat in Ecclesiâ dispersâ auctoritatem agnoscere de rebus Fidei, ac Morum certo, fixoque judicio statuendi, apud eum, qui sic

Hic porro, ne quis disparia componens retor quendi argumenti facultatem sibi oblatam blandiatur, valde animadvertendum, errorem, quem hoc loco notamus, longe differre ab eorum opinione, de quâ nullam in praesens disputationem suscipimus, qui Apostolicae Sedis judicium, etsi per se se gravissimum, tamen censent prorsus irrevocabile non fieri,. nisi accedente morali Episcoporum unanimitate, quae ipsorum expresso, vel tacito assensu declaratur. Isti enim judicii firmitatem repetunt ab auctoritate, quâ praediti sunt Pontifices, & Episcopi judicandi de Causis Fidei, suumque judicium, velut ratam, immotamque regulam Ecclesiis praescribendi. Porro moralis isthaec unanimitas Episcopalis ordinis Capiti suo adhaerentis, utpote quae universitatem amplectitur, atque per Ecclesias undequâque funditur, ejus conditionis est, ut obscura manere nequeat, sed communi famâ, et acclamatione continuo innotescat, nec latere quemquam valeat, qui Pastorum vocem audiendam sibi, meminerit; ab eis-que

---

sic sentiat, minus roboris id argumenti habiturum. Verum nemo unus profecto talis extiterit, nisi qui a Catholicâ doctrinâ deflectere, totamque ultro antiquitatem aspernari palam non vereatur. Ecquis enim Ecclesiasticarum antiquitàtum rudis adeo, et imperitus, qui nesciat, quam multa haeresum monstra prioribus Saeculis, nullo Generali Concilio, vi auctoritatis in Ecclesia perpetuo vigentis perculsa sint, depulsa, penitusque profligata? Cujus rei utpote notissimae satis superque fuerit testem proferre unum, at sane locupletissimum Augustinum, qui lib.4. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Cap.12. expresse testatur, plures olim haereses sine Congregatione Synodi damnatas esse. Proinde, quum an.1664., ut refert Tournelius de Ecclesiâ quaest.3. art.3. liber prodiisset, cujus haec erat Sententia „ Solis Conciliis Oecumenicis declarari unanimem Ecclesiae consensum, „ atque sola eorum decreta firma esse, et irreformabilia, Sacra Facultas „ Parisiensis doctrinam hanc censurâ suâ notavit his verbis: *Hae propositiones, inquantum infallibilitatem Ecclesiae universali in nullo statu, quam „ in Concilio Oecumenico congregatae tribuunt, & ipsam aliquo tempore legitimi usûs poenitentiae cognitione caruisse supponunt, temerariae sunt, ipsi „ Ecclesiae injuriosae, et haereticae.* „ Quin et Febronius ipse labis hujusce suspicionem removere a se studuit; proque eâ depellendâ suffragatorem adhibet Eybelium ajentem, nusquam a Febronio negatam infallibilitatem Ecclesiae dispersae; quod quamquam dictum est officiose magis, quam vere, ut suo loco notabitur, ostendit plane, quam alienus a Catholicâ sentiendi ratione censeri debeat error hujuscemodi, cui nec Febronius affinis videri voluerit; nec placuerit Eybelio, affinem videri Febronium.

que velut Magistris, ac Judicibus, non a Plebibus fidei regulam accipiendam. Contra illi fidei regulam in uno universitatis sensu repositam volunt: quumque in hoc sensu explorando si Pontifex ipse labi potest, multo facilius errare valeant quique per Orbem dissiti Episcopi, ac Fideles, praeclusa via est omnis, quâ de illo sensu certò constare possit; nec adeo quidquam Ecclesiae dispersae remanet, in quo fixum, immotumque judicium de quâvis propositâ quaestione consistat.

Atque hujus quidem incommodi gravitas, quod ex illo errore in Ecclesiam dispersam redundat, haud parum adhuc augescit alterius opinionis accessione, quae inter Adversarios satis familiariter vagatur, nonnulla nimirum doctrinae capita, caeteroquin ad fidem pertinentia, sic interdum, et quidem per multum tempus in Ecclesiâ obscurari, ut vix appareant, immo vehementer a plerisque oppugnentur; nec, nisi penes paucos, certa eorum, et explorata veritas remaneat. Quod si ita est, et aliunde certum de quâcumque doctrinâ Ecclesiae judicium ex testatâ universitatis sententiâ pendet, obstructa est jam via omnis, quâ veritates ejusmodi ex illis latebris in apertam lucem emergere aliquando valeant. Exquiret Pontifex, explorare sataget, quid de tali doctrinae capite dissiti per Orbem Episcopi, et ipsi sentiant, et de suarum Ecclesiarum fide testentur. Plurimos a paucis dissentire comperiet: Pauci isti sese veritatis obscuratae propugnatores praedicabunt; illi plures non veritatem, sed errorem ab istis paucis defendi contendent. In eo dissensu Pontifex sententiam suam vel paucis adjunget, vel pluribus. Si paucis, alii numero superiores opponent, solius Pontificis, ac paucorum judicio de Universitatis sensu constare haud posse, nec id proinde ad constituendam fidei regulam valere. Contra si Pontifex pluribus sese adjunget, tum pauci alii, penes quos unos manere dicitur obscurata veritas, vel Pontificis, ac plurimorum sententiae adhaerebunt, vel repugnabunt. Si assentientur, jam fiet, ut quae apud ipsos unos manebat obscurata veritas, a suis Defensoribus deserta, oppressa tandem maneat, ac penitus extincta: Si repugnabunt, aliud incommodum recurret, quippe dicere cogentur, nec Pontificis, nec plurimorum ei adhaerentium Antistitum judicium satis virium habere ad quid certi de Fide statuendum; penitusque concidet vis auctoritatis, quam in morali unanimitate cum Capite ad certum de

de Fide judicium in Ecclesiâ dispersâ constanter tuentur Gallicanæ, quam vocant, sententiae Propugnatores. Quò semper magis patet, eos, qui novae isti opinandi licentiae indulgent, nullum Ecclesiae dispersae subsidium relinquere, quo certum de quovis controverso doctrinae capite judicium interponere valeat, quod tamen a Catholicâ sentiendi ratione abhorrere ultro Catholici omnes consentiunt.

Nec istud praetereundum, quam longe a priscâ Traditione discedant, qui Episcopis in Causis Fidei non aliud munus relinquunt, quam ut de suarum Ecclesiarum fide, ac sensu testentur. Quò fieret, ut Episcopi suis ab Ecclesiis docendi potius esse viderentur, quam eisdem docendis, velut Magistri, ac Judices praeesse. At profecto Episcopi officium est Populum suum docere, in eoque sacrum Fidei depositum sibi cum legitimâ missione creditum sancte, ac diligenter custodire: Nec vero simplex docendi Ministerium Episcopis demandatum est, sed Ministerium cum auctoritate conjunctum. Docuit Christus, et quidem *ut Auctoritatem habens*; Auctoritatis hujus participes fecit Apostolos, eorumque Successores, quum eos jussit docere omnes Gentes, pollicitus se cum ipsis futurum usque ad consummationem Saeculi, ut proinde Episcopi non tantum ut fidei suarum Ecclesiarum Spectatores, ac Testes semper habiti sint; sed ut Magistri, ac Judices: Quam Episcopalis Ordinis dignitatem egregie *vindicat Bellarminus l.1. de Concil. c.18., Episcopos in Conciliis non Consiliarios, sed Judices esse, docens*.

Quare in ipsis etiam Conciliis Oecumenicis, quum de aliquo doctrinae capite consultationes haberentur, minus solliciti videntur Patres fuisse de rogandâ singularum Ecclesiarum Sententiâ, quarum etiam plurimarum Episcopi semper aberant: sed in eo praecipue sibi elaborandum duxisse, ut Patrum, ac Doctorum sensum recognoscerent, qui docti a Majoribus, vicissim ipsi Ecclesias docuissent, traditamque ab initio doctrinam ad omnem posteritatis memoriam scriptis mandavissent: Uno verbo id unum ad certum judicium ab ipsis expetitum esse, ut comperta fieret propositae doctrinae consensio, vel repugnantia cum verbo Dei sive scripto, sive tradito: Scripti porro intelligentiam, ac traditi notitiam Apostolicae successionis ope explorarent, ejus praesertim Cathedrae, in quâ Petrum vivere adhuc, et praesidere norant;

rant; cujusque adeo vocem in Successorum suorum Rescriptis audiendam sibi, ac sequendam ducebant.

Nec propterea Judicum sibi Personam abrogabant, quod certum ipsis Apostolicae Sedis judicium praeluceret. In Apostolico Hierosolymitano Concilio Petrus sententiam primus dixit; at post eum nihilominus, ejusdemque Sententiam sequutus Jacobus vere adhuc judicavit. Jam vero notum est, quod Petro pro suo Principatu conveniebat, extraordinario privilegio caeteris quoque Apostolis tributum fuisse, ut quidquid ipsi de causâ Fidei decrevissent, omni erroris periculo vacaret. Non ergo ignorabat Jacobus immunem ab omni errore Petri Sententiam, qui non solum Apostolus, sed et Apostolorum Princeps esset; vere tamen judicavit, hoc ipso, quod suum judicium Petri judicio tametsi rato, et certo adjunxerit. Non desunt exempla haeresum, quae primûm ab Ecclesiâ dispersâ irrevocabili judicio damnatae, dein propter Sectatorum pertinaciam novam rursus in Synodis Provincialibus, vel etiam Generalibus damnationem subiere: In hâc novâ damnatione Patres Judicum Personam sustinebant, nec tamen ignorabant, revocari amplius non posse, quod Ecclesiae dispersæ irrevocabili judicio de illis erroribus præjudicatum jam fuisset, ac definitum. Minime proinde repugnat, ut, etiamsi praecesserit judicium certum, et irrevocabile, istud nihilominus sive ad compescendam Obtrectantium pervicaciam, sive ad prioris judicii aequitatem clarius manifestandam, sive aliâ de caussâ post novam recognitionem novo judicio confirmetur. Quod tamen praestari non potest nisi ab eo, qui judicandi potestate praeditus sit, legitimi judicis in eo munere Personam sustineat.

Sed jam promenda Traditionis monumenta, quae paullo ante polliciti sumus. 1. Celebris est *Irenaei* Auctoritas *l. 3. c. 3.*, ubi, posteaquam docuit, profectam ab Apostolis Traditionem continuâ Episcoporum Successione in omni Ecclesiâ conspicuam se praebere, subdit. „ Sed quoniam valde longum est, in hoc tali
„ volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones maxi-
„ mae, et antiquissimae, et omnibus cognitae, a Gloriosissimis
„ duobus Apostolis Petro, et Paulo Romae fundatae, et constitu-
„ tae Ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis Traditionem,
„ et annuntiatam Hominibus Fidem per Successiones Episcoporum
„ pervenientem usque ad nos, indicantes confundimus omnes eos,
„ qui

„ qui quoquo modo vel per sibi placentia, vel vanam gloriam,
„ vel per caecitatem, & malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in quâ semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, Traditio. „

Perspicue docet, pro asserendâ fide adversûs haereses minime opus esse singularium omnium Ecclesiarum successiones adire, quas vel nimis longum foret percensere numerando; Sed ad confundendos quoquo modo errantes satis esse indicasse Traditionem, et Fidem, quam Ecclesiarum omnium Maxima Romae constituta, et omnibus nota a Gloriosissimis Apostolis accepit; quae Traditio in eâ conservata per successiones Episcoporum ad nos usque pervenit; ad quam propterea Ecclesiam pro suâ potiore principalitate caeteras Ecclesias, et eos, qui undique sunt Fideles, necesse est convenire.

Hanc Irenaei auctoritatem adversûs nonnullorum Haereticorum reverâ ineptas cavillationes egregie vindicat *Renatus Massuet*, cujus docti Viri interpretationem *Dissert.3. art.4. num.31.* in hunc locum haud abs re fuerit saltem ex parte in medium proferre: „ In iis verbis, *inquit*, plura notanda sunt. 1. Romanam Ecclesiam jam Irenaei Saeculo omnium maximam existimatam fuisse longe minus Fidelium numero, de quo tunc temporis cum eâ contendere potuissent aliae quaedam Ecclesiae, quam auctoritatis amplitudine. 2. Omnium antiquissimam: Quod si ad Fundationis tempus referatur, falsissimum erit. Dudum enim antea Hierosolymitanam, Antiochenam, et alias fundaverant Apostoli. Ad dignitatem igitur necessariò referendum est, ut ideo omnium antiquissima dicatur Romana Ecclesia, quia omnium Princeps, et praecipua . . . 3. Omnibus cognitam asserit Irenaeus, utpote quam caeteris sublimiorem, ac excellentiorem aliae omnes ut Caput, et primam suspicerent, ac venerarentur . . . 5. Ad hanc Ecclesiam necesse esse, omnem Ecclesiam, seu omnes omnino Fideles per totum Orbem dispersos convenire: non quod illuc proficisci tenerentur ii, qui erant undique Fideles; id vel cogitare absurdissimum fuisset: Sed quod, ut fateri coactus est ipse Salmasius, necesse esset *convenire, et concordare in rebus Fidei cum Ec-*

 clesiâ

„ *clesiâ Romanâ* . . · Sed alterutrum scripserit Auctor noster, „ significare voluit, ideo omnes Ecclesias cum Romanâ consentire teneri, quia, licet caeterae in suis quaeque finibus „ Principatûs in sibi subditos Fideles jure gaudeant, longe tamen „ potior est is, quem obtinet Romana, utpote quae Principatûs, ac Primatûs jure omnibus dominetur, omnibus praesit, „ omnesque sibi subditas habeat. *6*. Denique in eâ Ecclesiâ semper ab his, qui sunt undique, conservatam esse eam, quae „ est ab Apostolis, Traditionem. „

*Tertullianus lib. de Praescript. c.*21. ad revincendas quasque haereses veritatis ab Apostolis traditae testimonium non à singulis per Orbem dissitis, sed ab Apostolicis Ecclesiis petendum docet: „ Si haec ita sint, constat proinde omnem doctrinam, quae „ cum illis Ecclesiis Matricibus, et Originalibus Fidei conspiret, „ veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia „ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit . . . „ et infra „ Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulla „ doctrina diversa „. Catholicae veritatis testimonium Tertullianus agnoscit positum in communicatione cum Ecclesiis Apostolicis; communicationem vero ex hoc pendere, *quod nulla doctrina diversa*; ut adeo quisquis hanc communicationem teneat, hoc ipso comprobetur id tenere, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. Porro inter Apostolicas Ecclesias Romanam potissimùm Tertullianus extollit, ac celebrat c.*36*. „ Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. „ Scilicet censebat, promtum, ac paratum Africae adversus quasque haereses praesidium in ejusEcclesiae auctoritate, a quâ illa Fidem acceperat. Pergit vero. „ Ista „ quam felix Ecclesia! Cui totam doctrinam Apostoli cum Sanguine profuderunt. Ubi Petrus Passioni Dominicae adaequatur; „ Ubi Paullus Joannis exitu coronatur; Ubi Apostolus Joannes posteaquam in Oleum igneum demersus nihil passus est, in Insulam relegatur. Videamus, quid didicerit, quid docuerit, quid cum „ Africanis quoque Ecclesiis contesserarit. „ Collectam in Romanâ Ecclesiâ doctrinae plenitudinem commendat, ut proinde non aliud indagandum remaneat, quam quod ipsa didicerit, docuerit, quamque Fidei formulam, velut communionis tesseram tradiderit. Atque hanc quidem singularem Cathedrae Romanae aucto-

auctoritatem ex Primatu Petri prodire satis innuit *c.*22. ,, Latuit ,, aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae Petram dictum, Claves ,, Regni Coelorum consequutum, et solvendi, et alligandi in ,, Coelis, et in Terris Potestatem? ,,

Quantum vero excellenti Romanae Sedis praestantiae tribueret Augustinus, quum ex aliis locis multis intelligi potest, tum ex Epist. 186. alias 106. num. 28., ubi obstinatam Pelagianorum pervicaciam in perversâ Sententiae Evangelicae interpretatione hoc potissimum ex capite revincit, quod eam tueri persisterent *contra Apostolicae Sedis auctoritatem, ubi de hâc ipsâ re quum ageretur, hoc testimonium adhibitum est Evangelicum, ne parvuli non baptizati vitam posse habere credantur*. Appellat scilicet Innocentii I. Epistolam (182. inter Augustini Epistolas), quâ Concilii Milevitani Acta contra Pelagianos comprobantur, quâ in Epistolâ sic ejus Concilii Patres Innocentius alloquitur num. 2. ,, Diligenter ergo, et congrue Apostolici consulitis honoris arca- ,, na (honoris, inquam, illius, quem praeter illa, quae sunt ,, extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum) super ,, anxiis rebus, quae sit tenenda sententia; antiquae scilicet re- ,, gulae formam sequuti, quam toto semper ab Orbe mecum no- ,, stis esse servatam. Verum haec missa facio, neque enim hoc ,, vestram credo latere prudentiam; quî id enim actione firma- ,, stis, nisi scientes, quod per omnes Provincias de Apostolico ,, Fonte petentibus responsa semper emanent? Praesertim quo- ,, ties Fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes Fratres, et Coëpi- ,, scopos nostros nonnisi ad Petrum, idest sui nominis, et ho- ,, noris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dile- ,, ctio, quod per totum Mundum possit omnibus Ecclesiis in ,, commune prodesse. ,, Hoc ipsum non minus expresse tradit Innocentius Epist. superiore 181. ad Aurelium, caeterosque Carthaginensis Concilii Patres num. 1. ,, In requirendo de his re- ,, bus, quas omni cum sollicitudine decet a Sacerdotibus, maxi- ,, meque a vero, justoque, et Catholico tractari Concilio, anti- ,, quae Traditionis exempla servantes, et Ecclesiasticae memores ,, disciplinae, nostrae Religionis vigorem non minus nunc in con- ,, sulendo, quam antea, quum pronuntiaretis, verâ ratione firma- ,, stis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium ,, scientes, quid Apostolicae Sedi, quum omnes hoc loco positi

„ ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse Epi„ scopatus, et tota auctoritas nominis hujus emersit. „ Atqui haec Patres Africani audiunt, legunt, suscipiunt: In his *antiquae traditionis exempla*, *in his antiquae regulae formam* agnoscunt, eademque suis actionibus firmant. Quo sane patet, quam praeclare illi de Apostolicae Sedis Auctoritate sentirent, ut minime mirum sit, vehementer eâ de caussâ Augustinum Pelagianos erroris coarguisse, quod post allatum Innocentii documentum cedere Romanae Sedi renuerent, quam unam per antonomasticam appellationem Apostolicae Sedis nomine designat.

Quaerit Juveninus Dissert. 4. de loc. Theolog. quaest. 2. c. 3. „ Quid facto opus sit, quum in aliquibus Ecclesiis alicujus Dog„ matis Traditio non reperitur, quae tamen reperitur in aliis? „ Quod si omnis in causâ Fidei definitio ex singularum omnium Ecclesiarum unanimi consensu emergere, ac peti deberet, profecto desperandum foret de asserendâ Divini cujuscumque Dogmatis firmitate, cujus Traditio non in omnibus Ecclesiis reperiretur. At id quam absonum sit, quis non intelligat? An vero, quia singulares nonnullae per Orbem Ecclesiae aut ignorabunt, aut silebunt, propterea lucerna sub modio retinebitur, osve obstruetur Ecclesiae universae, quin credita sibi eloquia, quâ jussa est auctoritate promulgare, ac super Tecta praedicare valeat? Probe iccirco laudatus Scriptor respondet, jamdudum Irenaeum, et Tertullianum propositae quaestioni occurrisse; qui „ nempe ajunt, „ eo in casu judicandum esse, eam Traditionem esse Divinam, „ quae reperitur in praecipuis, et Apostolicis Ecclesiis, in qui„ bus interrupta non fuit Episcoporum successio „. Horum illa testimonia recitat, quae sunt a nobis prolata, monetque inter has Ecclesias ex eorumdem sententiâ Romanam Ecclesiam tenere principem locum, *cujus ordinatione*, *ac successione* ea', quae est ab Apostolis in Ecclesiâ Traditio, & veritatis praeconizatio pervenit usque ad nos.

Eodem ex capite, seu immunitate ab omni errore Primatûs Dignitatem potissimum *Theodoretus* repetit *Epist.* 116. ad Renatum, dum ait, Romanam Ecclesiam *habere Ecclesiarum*, *quae in toto Orbe sunt*, *Principatum multis nominibus*; *atque hoc ante omnia*, *quod ab haereticâ tabe mansit immunis*. Nec mirum, siquidem in eâ, ut ait *Chrysologus Epist. ad Eutychem*

tychem

tychem, *quae refertur* 1. *p. Concil. Calcedon.* „ Beatus Petrus, „ ut in propriâ Sede et vivit, et praesidet, praestatque quaerentibus Fidei veritatem. „ Quod quum aliis multis, tum Agathonis luculentissimâ auctoritate inferius proferendâ confirmatur.

Ad Apostolicas etiam Ecclesias Thusciae Episcopos revocat *Pelagius I. apud Baron. ad an.* 556. *n.* 31. „ B. Augustinus, *inquit*, Dominicae Sententiae memor, quae fundamentum Ecclesiae in Apostolicis Sedibus collocavit, in Schismate esse dixit quicumque se a Praesulis earumdem Sedium auctoritate, et „ communione suspenderit; nec aliam manifestat esse Ecclesiam, „ nisi quae in Pontificibus Apostolicarum Sedium est solidata radicibus. „ Omnium porro istarum radicum, ut animadvertit *Christianus Lupus tom.* 9. *p.* 88. Radix est Romana Ecclesia, ac ejus Episcopus, de quibus idem *Augustinus* scribit ad quosdam *Donatistas*: *in Romanâ Ecclesiâ semper Apostolicae Cathedrae viguit Principatus*.

Rursum de istis Apostolicis Ecclesiis *idem Scriptor pag.* 89. „ Omnes, *inquit*, sunt communionis radices, nempe sibi subditis „ Ecclesiis, ac Populis. Hinc et ipsae habent altiorem radicem, „ Apostolicam Sedem, Romanam Ecclesiam, ... quod ipsam „ Dominus super unum Sanctum Petrum fundaverit, atque ita „ in ipsâ Catholicae unitatis originem, et rationem posuerit; „ ejus Episcopatum omnibus Episcopatibus, atque Ecclesiis fecerit esse, ut solem radiis, ut Rivis Fontem, & Radicem Ramis supra nobis dixit Sanctus Cyprianus. „ Pergit idipsum confirmare Sanctorum aliorum auctoritatibus, ac demum notat, hoc ipsum sic et Donatistis ipsis notum fuisse, „ ut paucis suis „ Romae ob negotia morantibus Afris crearint Episcopum, ipsumque illic in, nescio quo, monte, aut rupe latitantem appellarint Pontificem Romanum. Sciebant sine Romani Pontificis „ communione esse non posse veram Ecclesiam. At istud Pontificis spectrum Fideles Romani per jocum appellabant Episcopum Montensem, aut Rupitanum. Hinc et omnes Donatistae „ ab eâdem fideli Urbe appellati fuerunt Montenses, ac Rupitani „.

Innumera alia proferri possent in eamdem sententiam veterum testimonia; nec pauca ipsi, prout se dedit opportunitas, identidem in hujus lucubrationis decursu protulimus. Hoc loco unum

unum nobis propositum fuit, ut oculis aequi cujusque aestimatoris subjiceremus, I. Quantum a priscae Traditionis auctoritate recedat nova haec opinandi ratio, quae in Causis Fidei non alias propemodum Pontifici Romano partes concedit, quam ut Ecclesiarum sensum roget, ac ferat. II. Quam secum ipsi pugnent opinionis ejusdem Auctores, vel Suffragatores, qui ad Fidei judicium singularum omnium, vel fere omnium Ecclesiarum suffragia expetant, dum ex aliâ parte fidei veritates in plerisque interdum Ecclesiis sic turpiter defórmari, obscurarique contendunt, ut ab illis ipsis Ecclesiis veritas non solum non teneatur, sed potius acriter oppugnetur. III. Quam parum congruenter agant, qui, dum se ostentant Episcopalis Dignitatis acerrimos Vindices, eam sic deprimunt, ut Episcopos haberi velint suarum quosque Plebium sensûs spectatores, ac testes; ut quos Christus Magistros posuit, eos ipsi faciant Ecclesiarum aliquo pacto Discipulos.

POSITIO XV.

„ Haeresis Lutheri jam ante Concilium Tridentinum prae-
„ eunte Leone X. Pontifice Maximo ab Ecclesiâ irrevocabiliter
„ damnata fuit.„

ANIMADVERS.

Cavere imprimis videtur Febronius, ne irrevocabilis haec Lutheri damnatio uni Apostolicae Sedis judicio accepta referatur. Notat, Lutherum an. 1520. a Leone X. damnatum fuisse: Ei damnationi eodem anno Universitates Coloniensem, et Lovaniensem, sequenti verò etiam Parisiensem subscripsisse; Agnitum quidem sive ab hâc Academiâ, sive a Parisiensi Synodo an. 1528. per Lutherum *extinctarum quondam haereseon cineres exsuscitari*; attamen additum ab utrâque, „ negandum non esse, Luthe-
„ rum ex prono suo, et fertili ad novitates ingenio etiam plu-
„ res novas ante inauditas haereses produxisse.„ Sed jam quod attinet ad Accademiarum Sententias, quamvis illae pro praestanti, quâ florent, doctrinae laude magnum auctoritatis pondus afferant, non ideo tamen judicium proprie dogmaticum constituere, facile Febronius ipse consentiet, qui hoc proprium Episcopalis Ordinis tuetur. Refert

Refert deinceps, Edicto Caroli V. an. 1521., quo Bullae Leonis Papae doctrinas Lutheri damnantis insistitur, eam Bullam per varios Germaniae locos, signanter Lovanii, Coloniae, Treviris, et Moguntiae publicatam esse.

Et continuò: „ Taceo, *inquit*, Dioecesanas Synodos Tre-
„ virensem, et Augustanam an. 1548., Argentinensem an. 1549.
„ Coloniensem, et Cameracensem an. 1550., quibus errores
„ Lutheri proscripti sunt; sed non praeteribo *Provinciales* an-
„ no 1549. Moguntinam, Trevirensem, et Coloniensem, quip-
„ pe quae Provinciae totam pene Germaniam Sacram comple-
„ ctuntur, quae omnes cum prioribus de eodem argumento sunt,
„ scilicet de damnatione doctrinarum Lutheri. „

Tum concludit: „ Sic Germania est Theatrum, in quo orta,
„ et propagata est haeresis Lutheri: Eadem est Theatrum, quo
„ illa proscripta fuit adhaesione Corporis suorum Episcoporum
„ judicio, et damnationi per Romanum Pontificem factae aliis
„ Episcopis saltem tacite assentientibus, quae adhaesio unâ cum
„ tacito reliquorum consensu constituit verum, et finale judi-
„ cium Ecclesiae dispersae. „

Itaque adhaesionem Episcoporum Germaniae repetit praecipue Febronius ex tribus illis Provinciarum Synodis, quae totam pene Germaniam Sacram complectuntur. Quod si ita est, sponte suâ consequitur, ante illas Synodos adhaesionem, quâ *finale* judicium continetur, aut nondum habitam fuisse, aut saltem non satis idoneo, firmove argumento patefactam: quo posito et istud aliud consequitur, ante an. 1549., quo illae Synodi habitae sunt, ad Lutheri errores irrevocabiliter damnandos nullum adhuc *finale* judicium prodiisse.

Atqui haec consectaria, tametsi expositioni Febronii plane consentanea, non potuere Febronio ipsi non absurda videri: Sic itaque pergit disserere: „ Manet proinde fixum, etiam novas
„ Lutheri haereses (ut de recoctis, jam ante Lutherum proscri-
„ ptis, non loquar) ante Concilium Tridentinum serius convoca-
„ tum irrevocabiliter damnatas fuisse, quamvis praecisum, et
„ fixum tempus aegre determinari valeat, quo moralis illa una-
„ nimitas Corporis Germanici adhaerentis Bullae Leonis X. per-
„ fecta fuerit: quandoquidem eam in annum 1549., idest Epo-
„ cham praedictarum Provincialium Synodorum differri nollem;
neque

„ neque enim non potuere Catholicae Ecclesiae totam illam erro-
„ rum massam ocius non perhorrescere . „

Jam videat quisque paullo aequus rerum aestimator, quam bene ista conveniant. Corporis Germanici adhaesionem potissimum repetit Febronius ex illis Synodis Provincialibus, nec certius ejusdem, aut luculentius monumentum proferre valet. Hic verò adhaesionem ipsam in id usque tempus differri nollet. Ergo eam extitisse oportebit, antequam ea existerent, per quae illam existere oportebat. Cujus rei argumento est, quod ab eâ Epochâ discedens Febronius nullum amplius praecisum tempus reperire valet, quo moralis unanimitas perfecta fuerit. Quod si Vir bene doctus, qui nunc totam rerum tunc gestarum seriem pacato, quietoque animo revolvere, ac perpendere valet, non tamen in longo eo intervallo tempus ullum notare potest, quo moralis unanimitas aut perfecta sit, aut saltem certis notis, et indiciis patescere potuerit, quid de illis existimandum, quos contigit turbulentissimis illis temporibus in medio disputationum aestu versari? Ergo donec certo ipsis constare potuerit de morali unanimitate, quâ finale judicium continetur, incerti, ac fluctuantes haerere debuerunt; nec habere certum quidquam, et fixum, in quo tamquam in constanti, et irrevocabili fidei regulâ conquiescerent. Donec enim non prorsus constaret, an irrevocabiliter damnatae essent doctrinae Lutheri, suspicio semper aliqua suboriri poterat, num forte finale judicium latis ante judiciis omni ex parte responderet, quâ manente suspicione firmus consistere haud poterat assensus ille fidei, qui contrariis veritatibus debebatur. Quis porro Catholicus ferre possit, eum aliquando statum Ecclesiae fuisse, ut ancipites potuerint esse Fideles (quod vel scribere horret calamus), num Pontificiis Decretis, an potius Lutheranis doctrinis audientes esse deberent?

Sed frustra laborat Febronius in exquirendâ Epochâ, quâ de finali adversûs Lutheri errores judicio plane constiterit. Nullus de hâc post Leonis X. Bullam dubitandi locus fuit. Pontificio Decreto Catholicae Ecclesiae nullâ susceptâ ulterioris unanimitatis pervestigatione acquieverunt. De Corporis Germanici adhaesione minime solliciti fuere Patres Lugdunensis Provincialis Concilii an. 1527., quum de Lutheranae haeresis impietate gravissime conquesti omni ope sibi enitendum ducerent, ne a propin-

pinquis Regionibus in Gallias pervaderet; juberentque adeo, ne quis Lutheri, ejusque sequacium Dogmata, aut alias perversas, reprobatasque doctrinas docere, aut defendere quoquo modo auderet. Concilium Provinciale Bituricense ann. 1528. Lutheri Dogma reprobat, seu potius pro reprobato habere se testatur: Quo fundamento? Quod fuerat *a Sacrosanctâ Sede Apostolicâ jam pridem reprobatum*. Synodus Augustensis an.1548. praecipit, ac mandat universo Clero, ac Populo, „ Ut in Sanctâ „ Fide Catholicâ, quam Divinâ Clementiâ, et Sanctissimorum „ Hominum praedicatione secundum praedictae Sanctae Sedis, „ (cujus Primatum paullo ante asseruerat) puram, et incorru- „ ptam Traditionem Majores nostri acceperunt, constantes, „ firmique permaneant „. Non aliam sibi quaerendam veritatis regulam putavit haec Synodus, nisi puram, et incorruptam Sanctae Sedis Traditionem. Consentit Decretum num.5. editum. „ „ Ut Catholica Doctrina, atque Disciplina Ecclesiastica melius „ conservetur, statuimus, atque ordinamus, ut ordinandi su- „ per haeresibus hoc tempore jactatis, quid de illis, et contra „ quid de Romanâ Catholicâ, et Apostolicâ Ecclesiâ sentiant, „ diligenti examinatione explorentur „. Eo scilicet spectabant Patres, ut eorum subditi „ Orthodoxam Fidem, Sedisque Apo- „ stolicae, a quâ (inquiunt num.31.) Fidei Christianae incuna- „ bula traximus, auctoritatem, ut hactenus factum ab eis fuit, „ ad Gloriam Omnipotentis Dei tueantur „.

Quid plura? Edicto ipso Caroli V. ann.1521., quo, ut fatetur Febronius, Bullae Leonis X. insistitur, Lutherus pro Haeretico habetur. Quâ de re *Natalis Alexander Hist. Eccl. Sec. XV. et XVI. c. 2. artic.11. §.4. num.4.* „ Caesar Edictum edidit de „ consensu Septemvirûm, et omnium Sacri Imperii Principum, „ Ordinum, et Statuum, quo Martinum Lutherum ut mem- „ brum ab Ecclesiâ Dei abalienatum, ut obstinatum Schismati- „ cum, et notorium Haereticum habendum decernit „.

At nec silentio praetereundae, quas praecipue commemorandas censuit Febronius, Provinciales Synodi an.1549., Moguntina, Trevirensis, Coloniensis. In his nullum dubitationis indicium, quin velut damnatae jam, ac reprobatae habendae essent, haberenturque Lutheranorum doctrinae. Speciatim verò insigne prorsus, maximeque ad hanc rem, causamque pertinens Decretum

edidit Trevirensis, e quo non abs re fuerit pauca haec descripsisse. „ In confesso est, testantibus nimirum Sanctae Ecclesiae Pa-
„ tribus, ac re ipsâ clamante, Christi Apostolos Petrum, et
„ Paulum Dei Sanctum Evangelium in sanguine quoque ipsorum
„ signatum Romanae Ecclesiae reliquisse; atque in illius fidem
„ Ecclesias omnes, quae ubique sunt, Fideles in toto Orbe ter-
„ rarum religiose conspirasse, atque societate Sacramenti con-
„ foederatas, et conjunctas esse. Itaque quum ad Nos per Episco-
„ porum successionem perpetuo continuata ea Fides pervenerit,
„ non dubitamus, hanc unam, eamdemque esse, atque adeo
„ veram fidem, quae ab Apostolis ipsis in veritate est tradita,
„ & usque nunc religiose semper custodita, et in Catholicâ Ec-
„ clesiâ semper conservata. Nihil proinde aliud credendum, te-
„ nendum, aut docendum est, nisi quod Sancta Romana tenet,
„ & docet Ecclesia omnium consentientium Ecclesiarum Ma-
„ ter, & Magistra. Eum vero, qui a Fide Catholicae, & Ro-
„ manae Ecclesiae recedit, necesse est a veritate, & capite de-
„ ficere. „.

Atque id quidem antiquae suae, ac per multam Episcoporum successionem continuatae Traditionis praeclarissima Trevirensis Ecclesia velut hereditarium monumentum Posteris reliquit; istudque, si quem alium, praesertim decet, Episcopum Myriophitanum pro amplissimo Dignitatis gradu, quem in eâ Ecclesiâ obtinet, non solum non defugere, sed velut sacrum Depositum sibi a Majoribus commendatum sancte custodire, ac pro viribus sartum, tectumque tueri, ac defendere.

POSITIO XVI.

„ Ecclesia a Christo habet auctoritatem judicandi de sensu,
„ seu doctrinâ Propositionum, Librorum, & Auctorum, nec
„ non Fideles compellendi ad subscribendum suae Sententiae „.

ANIMADVERS.

DOcet, hanc auctoritatem *in corpore Pastorali residere, seu penes eos, quibus incumbit munus, & obligatio regendi, & docendi Fideles in iis, quae ad salutem pertinent, idest Pastores Eccle-*

Ecclesiae; Usumque hujus auctoritatis multis ex antiquitate petitis exemplis confirmat.

Perspicue adstruit, teneri Fideles jure Conscientiae judicio Ecclesiae acquiescere, nec religiosum, quod vocant, silentium sufficere: *Etenim verum, ac internum assensum Ecclesia postulat, non dolosam, et mendacem subscriptionem*. Addit tamen, *non deesse Theologos plane Catholicos, qui Ecclesiae tributam esse infallibilitatem in factis Dogmaticis, negant*. Quod sane sine multâ reprehensione praetereundum non erat, nec omnino conciliari potest cum jure, quod Ecclesiae palam Febronius attribuit, veri, ac interni assensûs exigendi.

Demum celebris Muratorii de hâc re sententiam profert in hunc modum. „ Jansenii factum (verba sunt Febronii) *ad Fi-* „ *dem* non pertinere, probat etiam sub nomine Lamindi Pritanii „ celebris Muratorius de ingenior. moderat. l. 1. c. 20. Dicit ta- „ men debere omnes, et singulos Fideles judicio Sedis Apo- „ stolicae acquiescere corde, et ore, quia hoc definire pertinet „ ad auctoritatem Ecclesiae *circa Disciplinam*.

Quod ait Lamindus Pritanius, debere Fideles omnes judicio Sedis Apostolicae corde, et ore acquiescere, rectissime ab eo dictum est. Quod merae disciplinae sit judicium, quod in factis Dogmaticis fertur ab Ecclesiâ, id vero perspicue refellit Febronius ipse hâc suâ sapienti observatione p. 97. „ Ex istâ rei serie „ apparet, decisionem controversiae Cyrilli cum Nestorio, *quae* „ *erat controversia Fidei*, factam ab Ephesinâ Generali Synodo „ totam esse fundatam in collatione Epistolarum Cyrilli, et Ne- „ storii cum Nicaeno Symbolo, atque Synodum non aliter con- „ troversiam hanc decidisse, quam interpretando utramque Epi- „ stolam, et illam quidem Symbolo consonam, hanc dissonam „ pronuntiando. „ Videat jam Febronius, num satis Catholicum se Doctorem probet, quisquis ab Ecclesiâ conetur auctoritatem illam depellere de factis Dogmaticis certo, nec errori obnoxio judicio decernendi, quam adeo illustri facto, et exemplo Œcumenica Synodus Ephesina comprobavit.

POSITIO XVII.

„ Constitutioni *Unigenitus*, ut Dogmatico Sanctae Sedis,
„ et Universalis Ecclesiae Decreto, omnimoda ab omnibus obe-
„ dientia debetur „.

ANIMADVERS.

Agnoscit, Ecclesiae jus esse adigendi Fideles, ut suae sententiae subscribant, „non solum quum singulae propositiones damnantur *ut haereticae*, sed etiam dum plures sub diversis, et
„ indeterminatis qualificationibus configuntur, et prohibentur,
„ ut ajunt, in globo . . . . Itaque per talem Ecclesiae definitio-
„ nem firmum stat, eas propositiones quocumque titulo, seu ru-
„ bricâ damnatas esse rejiciendas, quippe quod ex eisdem quae-
„ dam sint *haereticae*, quaedam *erroneae*, quaedam *scandalo-*
„ *sae etc.*, atque in id fertur assensus Auctoritati debitus. Quae-
„ nam vero censurae nota singulis conveniat, Doctoribus inqui-
„ rendum, et assignandum relinquitur, donec ab Ecclesiâ spe-
„ cialius id fuerit determinatum. „ Recte huc usque. Verum subjungit: „ Posterior haec observatio omnino necessaria impedit,
„ quominus laudata Constitutio pro *regulâ fidei* haberi hactenus
„ valeat, sed *Morum* tantum „.

Fatetur tamen Febronius, Constitutionem *Unigenitus*, prout est a Clero ipso Gallicano declaratum, *esse revera*, *et agnosci pro Dogmatico universalis Ecclesiae Decreto*. In Decreto porro Dogmatico non sola vis inest Regulae Morum; siquidem hujusmodi judicio propositiones sic proscribuntur, ut quamvis non plane constet, quae cuique censura conveniat, unusquisque tamen intelligere possit, ac debeat, nullam esse, quae non alicui ex inflictis notis subjaceat, omnesque proinde aliquid continere, quod Catholicae, sanaeve doctrinae adversetur; Quumque id judicium non tantum ad componendos mores, sed etiam ad tuendam fidem spectet, atque ad ea rejicienda, ex quibus fidei, Catholicaeque doctrinae periculum, ac detrimentum imminet, non satis vim ejusmodi exprimit, qui non aliud in eo, quam simplicem regulam morum agnoscit.

Nec

Nec sequitur, Constitutionem *Unigenitus* nonnisi ut simplicem regulam morum ab illis haberi, quos laudat Febronius, qui eam *Judicium Ecclesiae Dogmaticum, et irreformabile* potius, quam *regulam fidei* appellare maluerunt. Haud quippe alienum est, illos existimasse, nomen hoc *regulae fidei*, quum strictissimo sensu accipitur, eis tantum definitionibus convenire, quibus aliqua propositio singillatim, ac expresse damnatur velut *haeretica* adeo, ut opposita enuntiatio Dogma contineat fide Divinâ determinate credendum; reque sic definitâ nullus ulteriori judicio locus relinquatur. Porro ubi propositiones *in globo*, ut ajunt, damnantur, nondum habetur ultimum illud judicium, quod Ecclesia ferre de illis queat, quo nimirum ipsa definiat insuper, ac declaret, quâ speciatim notâ unaquaeque propositio sit afficienda. Quo non tollitur, quin regulae fidei appellatio paullo latiore sensu jure, ac merito transferatur in ea judicia, quae ad fidem tuendam pertinere, nec Febronius ipse diffitetur. Quocirca minus haerendum hoc loco censeo in iis persequendis, quibus cum recentis memoriae Scriptore evincere nititur, regulae fidei appellationem in Concilii Provincialis Romani acta irrepsisse, quod aliunde longiorem disputationem flagitaret, quam praesentis instituti ratio patiatur (a).

Ad extremum testatur Febronius, quae de Constitutione *Unigenitus* scripsit, ea ut privatum hominem *in reverentiam Summae Sedis, et Constitutionum ejus scripsisse, quin damnare audeat ea Supremorum Magistratuum mandata, quibus ad asserendam Regnorum tranquillitatem de his, et similibus controversiis in publico abstinendum jubetur*. Subjungitque, „ Verum „ haec ad ea pertinent, quae de jure placiti Secularibus Princi- „ pi-

(a) Quamquam apud aequos rerum Æstimatores ambigendi locus superesse nullus deinceps potuit, posteaquam S. M. Benedictus XIII., qui Acta hujusce sui Concilii summâ curâ, et diligentiâ recognovit, eâ ipsâ de re rogatus ab Archiepiscopo Ebredunensi expressis verbis rescripsit, Decreto, quale typis editum est, Fidem prorsus habendam, cui nimirum & ipse Pontifex, et caeteri Patres Concilii subscripsissent. Quam Epistolam manu Pontificis ad se praescriptam, datamque die 8. Junii 1726. Archiepiscopus et ipso tempore cum aliis Praesulibus communicavit, ac deindè an. 1731. publicâ Pastorali suâ institutione ad omnem futuri temporis memoriam commendavit.

„ pibus in Spiritualibus quoad certum modum, certosque fines „ competente a Jurisconsultis traduntur „. Quâ de re pauca se inferius dicturum pollicetur.

Unum igitur interea hîc animadvertemus, Constitutionem *Unigenitus* a Febronio propugnari tamquam Dogmaticum Sanctae Sedis, et universalis Ecclesiae Decretum. Quo fit, ut in ejus auctoritate asserendâ ratio ei habenda fuerit reverentiae non solum, quae Summae Sedi, sed et quae universali Ecclesiae ab omnibus debetur. Quid porro debitum hujus reverentiae officium ab homine Catholico in Spiritualibus postulet, melius, ac tutius a Conciliis, et Patribus, quam a privatis Auctoribus Febronius intelligere poterit. Verum de his et nos pauca subjungemus, ubi pauca illa ea recurrent, quae ille pollicetur.

POSITIO XVIII.

„ Quae ad Ecclesiae Statum pertinent, si quid dubitationis „ fuerit obortum, ad Romanum Pontificem referendum est „.

ANIMADVERS.

HUjusmodi relationum exempla profert ex remotissimâ antiquitate, atque jus Pontificis esse, ut *ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes*, evincit non auctoritate tantum Sardicensis Concilii, sed facto ipso Cypriani, *quem*, ait, *forte hîc nonnulli opponent*; tum Epistolâ Coelestini ad Episcopos Illyrici, quin et ipsiusmet Justiniani ad Epiphanium Constantinopolitanum *l. 7. C. de Sum. Trinit.*

Deinceps incipit aliquantum tergiversari, eoque spectare, ut auctoritatis vim, quae in Pontificum responsis eminet, imminuat, seu potius infringat. Scilicet descriptis ex Innocentii I. Epistolâ ad Victricium Rothomagensem paucis hisce verbis, quibus „ Pontifex responsa dare se ait, *non quo nova praecepta aliqua* „ *imperentur, sed ea, quae per desidiam aliquorum neglecta* „ *sunt, ab omnibus observari cupiamus, quae tamen Apostolicâ, et Patrum Traditione sunt constituta* „. Ex hoc peculiari rescripto ad peculiaria Victricii quaesita minus attentis Dialecticae regulis in hanc generalem conclusionem descendit, seu verius prae-

praecipitat, „ responsa ea fuisse veluti instructiones ad directio-
„ nem quaerentium, seu referentium ad normam Canonum, et
„ antiquae Traditionis „. Atque id quidem ex auctoritate *Petri De Marca l. 7. c. 13. n. 4.* Simul tamen non dissimulat, plus quiddam a D. Rautenstrauch Pontificum responsis tributum fuisse, nimirum „ ea responsa non simplicis tantum *Consilii* vicem subiis-
„ se, sed veluti *Decisiones* ex Canonibus, et Traditione petitas
„ accipiendas esse, ad quarum etiam observationem adstricti
„ essent Episcopi „. Quâ de re pollicetur Febronius, dicturum se Positione sequenti.

Nonnulla interim hîc animadvertenda. Quod Pontificum responsa non Consilii tantum, aut merae institutionis, ut innuit Febronius, sed Praecepti, ac Decisionis vim haberent, adeo perspicuum fit cuique rescripta inspicienti, ut D. Rautenstrauch minime dubitaverit idipsum palam, aperteque fateri. Quod vero Decisiones istae Pontificum sic ex Canonibus, et Traditione petitae innuantur, ut inde tota vis penderet, quâ Episcopi ad earum observationem adstricti tenerentur, id porro non sine aliquâ aut explicatione, aut etiam reprehensione praetereundum.

Equidem ex Epistolis Innocentii I. facile intelligimus, quantâ curâ, et diligentiâ in id incumberet Sedes Apostolica, ut Ecclesiastica instituta sancte, ac religiose ubique servarentur; simul vero docent, unde petenda esset origo, forma, norma Ecclesiasticae Disciplinae. Perspicua sunt verba Innocentii, quae haud par fuisset a Febronio sileri, utpote quae proxime antecedunt, explicantque pauca illa, quae superius sunt ab eo recitata. „ Pro-
„ pter eos igitur (inquit Innocentius Victricium alloquens), qui
„ vel ignorantiâ, vel desidiâ non tenent Ecclesiasticam Discipli-
„ nam, recte postulasti, ut in illis partibus istiusmodi, quam te-
„ net Ecclesia Romana, forma servetur, non quo nova praece-
„ pta aliqua imperentur etc. „. Latius vero idem Pontifex *Epist. ad Decentium*: „ Quis enim, *inquit*, nesciat, aut non advertat
„ id, quod a Principe Apostolorum Petro Romanae Ecclesiae tra-
„ ditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere ser-
„ vari; nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut aucto-
„ ritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exem-
„ plum? . . . . . Et post pauca: „ Oportet, eos hoc sequi, quod
„ Ecclesia Romana custodit, a quâ eos principium accepisse non
„ du-

„ dubium est, ne, dum peregrinis assertionibus student, caput „ institutionum videantur amittere „.

Quibus ex Epistolis meritò sic *Severinus Binius* concludendum censuit: „ Unde constat, pios, et doctrinâ spectatos Sanctissimos Episcopos, quantumvis ad informandam Plebem Ecclesiasticis institutis ipsi sibi sufficere videri possent, ex fonte tamen originario aquas haurire solitos esse, quod nimirum scirent, majoris roboris, et auctoritatis esse id, quod ab Apostolicâ Sede petitum constaret . . . . . . eosdemque ad Sedis Apostolicae doctrinam, tamquam ad Divinum semper in Petro loquens oraculum, convenire solitos esse; illud firmum, solidumque existimantes, quod tantae Sedis auctoritate comprobatum intelligerent „.

Hinc si Febronius ex hoc jam loco innuere vellet, vim, quam habent Rescripta Pontificum, non tam ex auctoritate Pontificiâ pendere, quam ex Canonibus, quorum observatio Rescriptis illis commendatur, magnum incautis errandi periculum crearet. Contrarium quippe constat Siricii auctoritate, quam ex P. Coustant superius hanc in rem protulimus, cui adjungenda Hilari etiam auctoritas in Concilio Romano: „ Nulli fas sit sine statûs sui periculo vel Divinas Constitutiones, vel Apostolicae Sedis Decreta temerare „. Sed de his Febronius iterum dicturus est Posit. sequ.

„ Alium adhuc finem habebant, inquit *p.* 110., Episcoporum, et Synodorum ad Romanum Pontificem relationes, ne scilicet Pontifex ipse, aut qui in ejus communione persistunt, ignoranter communicent iis, qui ab aliis Episcopis, aut Synodis excommunicati sunt „. Quod sic explicare pergit, ut innuere videatur, non alias eâ in re Pontificis partes fuisse, nisi quod „ ad evitandam subreptionem Synodi, et Episcopi, quos excommunicaverant, Sedi Romanae denuntiabant, ut hoc medio ab omnibus devitarentur „. At aequum non erat dissimulare, quâ in ejusmodi Synodorum, Episcoporumve judiciis auctoritate uterentur, ac pollerent Romani Pontifices, quae auctoritas a Concilio Sardicensi sic sancita est, ut non ab eo primûm instituta, sed agnita, et confirmata fuerit, prout latius *a Natali Alexandro* explicatur, et invicte comprobatur *Dissert. in Con. Sardic.* Verum, quia de his Febronius aliis adhuc locis dicturus est, nobis quoque ad ea loca necesse est nonnulla reservare.

De-

Demum *p.* 113. vehementer cupere se ostendit, ut Concilia Provincialia singulis trienniis ex Tridentini praescripto celebranda restituerentur. Cur vero ad id optandum moveatur, non dissimulat: quod nimirum „ tum demum ad Sedem Apostolicam re„ lationi locus esset, si illic (causae) finiri non possent, uti ad Epi„ scopos Illyrici scripsit Sixtus III. apud Coustant Col. 1272. „ Quo posito magna spes ostenderetur fore, ut hoc relationum onere aliquando tandem Ecclesiae, et Episcopi levarentur: Etenim „ Quis credat, (utitur hîc Febronius verbis Benedicti Oberhauser) „ unicuique Provinciae gratiam Sancti Spiritûs defuturam, „ quâ aequitas a Christi Sacerdotibus et prudenter videatur, et „ constantissime teneatur, ut Romanis relationibus infinitus lo„ cus detur?

Mirum, viris alioquin nec incautis, nec indoctis talia quandoque excidere! Quid? Num forte Sancti Spiritûs gratia priorum aetatum Synodis, Episcopisve defuisse censebitur, quâ et ipsi quid aequum esset, et prudenter viderent, et constanter tenerent? Attamen frequentissimum illis aetatibus Romanarum relationum usum agnoscit Febronius *p.* 115. Censet forte Oberhauser, et cum eo Febronius, Spiritûs Sancti gratiâ caruisse Sanctissimos illos Sacerdotes, quos paullo ante laudavimus, Decentium, Victricium, Exuperium, Himerium, quos vel ipsa miraculorum gratia illustrabat, quibus tamen nihil antiquius erat, quam ut in omni dubitatione ad Apostolicae Sedis, idest ad Divinum Petri Oraculum confugerent? Isti scilicet interiori Sancti Spiritûs unctione edocti non sciebant modo, verum et sentiebant, nihil hierarchico Ecclesiae Statui a Christo constituto congruentius esse, quam ut arctissimo semper vinculo Ecclesiae per Orbem diffusae cum centro Unitatis cohaererent, isque nexus perenni, nec unquam interruptâ communicatione firmus, indivulsusque teneretur. Id ipsum ex Irenaeo, Cypriano, Athanasio, Chrysostomo, Cyrillo didicerant, quorum sunt hâc de re luculenta non minus, quam notissima testimonia.

POSITIO XIX.

„ Decretales Romanorum Pontificum reverenter suscipien-
„ dae, et sancte custodiendae sunt. „

ANIMADVERS.

Videtur (saltem in speciem) Febronius agnoscere in Summo Pontifice potestatem ferendi leges Disciplinae universales. Et hoc quidem necessariò ei dicendum erat, nisi videri vellet Catholicam sentiendi rationem prorsus abjicere. Verum hanc potestatem ex hoc uno Capite depromit, quod, quum ad Canonum observantiam aut conservandam, aut instaurandam iteratis subinde legibus, ac decretis opus sit, nec semper cogi Concilia hoc nomine oporteat, ea potestas ad Primatem Ecclesiae jure Divino pertineat. Quae verba, si proprie accipiuntur, significant, non aliâ Legiferâ potestate Pontificem pollere, quam quae in vindicandis Canonibus versetur; ex quo illud consequens foret, antequam Concilia cogerentur, et Canones editi essent, nullâ ferendarum legum potestate Pontifices praeditos fuisse.

Pontificii porro juris (quod tamen ad meram tuitionem Canonum paullo ante coërcuit) usum probat pluribus exemplis, nimirum Siricii, Zosimi, Coelestini. Tum concludit: „ Hae De-
„ cretales partim ex se ipsis, et propriâ constituentium aucto-
„ ritate vim legis habent, quales sunt illae, quas jam memora-
„ vimus, et aliae eis similes; partim etiam ex usu, et rece-
„ ptione nactae sunt. „

Ait itaque, Decretales vim legis habere partim ex seipsis, et propriâ constituentium auctoritate; partim ex usu, et receptione. Illud primum ambigue dictum; nec enim apparet, an Constituentium nomine Pontifices intelligat, an Concilia, e quibus Canones prodierunt, ad quorum tuitionem videtur superius totam adstrinxisse legiferam Potestatem Pontificum. Istud alterum minus etiam congruenter dictum: Usus quidem, seu consuetudo vim quandoque habet legis inducendae, aut abrogandae; at vim hanc non habet cousuetudo ex sese, aut ex fluxu temporis, verum ex tacito, vel praesumto consensu Legislatoris. Tantum

tum proinde abest, ut Legislatoris imperium vires trahat ex consuetudine, quin potius totam, quam habet vim consuetudo, eam ex Legislatoris nutu, seu consensu mutuetur. Neque satis vere, ac prudenter dicitur, legis a superiori potestate manantis vim ex subjectorum *receptione* pendere. Nam si Populi acceptatio in Republicâ necessaria fuit, ubi Populus erat Rex, id valere nequit, ubicumque Populus Regem habet, seu Principem, a quo Supremâ auctoritate regatur, ut proinde Regnorum tranquillitati, ac paci meritò infesta judicetur a Sapientibus eorum opinio, quibus placet, multitudinis acceptationem accedere oportere, ut lata lex a Principe obligandi vim nanciscatur. At de his in praesentiâ satis.

Verum ut appareat, quam parum in hâc totâ sermonis ambiguitate sibi constet Febronius, quo loco legiferam potestatem Pontificum contrahit ad eum modum, quem paullo ante vidimus, eo ipso praecipit generatim tenendum Gelasii Decretum, quo haec potestatis contractio plane convellitur. Quippe sic decernit *Gelasius Can. 3. Dist.* 15. „ Decretales Epistolas, quas „ Beatissimi Papae diversis temporibus ab Urbe Romanâ pro di- „ versorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter susci- „ piendas esse. „ Nulla hîc *receptionis*, aut *usûs* mentio. Consultationes generatim memorantur. Non ergo illae tantum, quae pro tuendis Canonibus ad Apostolicam Sedem referrentur, sed et quae novas emergentes difficultates continerent, quibus novâ quâdam ratione, et consilio prospiciendum esset. Laudat etiam *Epistolam Innocentii I. ad Episcopos Carthaginensis Concilii apud Coustant Col.* 888., quâ nil proferri potest luculentius ad asserendam Sedis Petri auctoritatem, *a quo ipse Episcopatus, et tota auctoritas nominis hujus emersit*. De quâ Sede Patrum Instituta *non humanâ, sed Divinâ decrevere Sententiâ, ut quidquid quamvis de disjunctis, remotisque Provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret &c.* Quod plane confirmant Afri Patres *Epist. ad Theodorum Papam*, cujus exordium ibidem a P. Coustant describitur. Utinam Febronius remotis ambagibus eam aliquando viam insistat, quam sic plane tritam Majores nostri reliquerunt!

Pag. 116. Legum proprietates recenset depromtas *ex Can.* 2. *Dist.* 4., quae quidem apud omnes sive Theologos, sive Juris-

risconsultos vulgatissimae sunt; nec minus civilibus, quam Ecclesiasticis Legibus conveniunt. Deinde sic statuit: „ Quis autem „ in tantâ hominum, et terrarum diversitate, et subinde con- „ trarietate de his omnibus, eorumque applicatione melius „ judicabit, quam Episcopi singuli pro suis respective Ecclesiis, „ seu Dioecesibus? *Quis discernet, an nova lex Pontificia sit se-* „ *cundum naturam, et Patriae consuetudinem utilis, loco, tem-* „ *porique conveniens, nemini praejudicans?* Certe Episcopus, „ cui Deus regendam suam particularem Ecclesiam commisit.

Deinceps Febronius, qui *duce Canone* in omnibus velle se progredi pollicetur, jam non dubitat hîc palam profiteri, modum quemdam adhibendum esse Canonibus, qui de Pontificum Decretalibus reverenter suscipiendis loquuntur. Pergit enim vero: „ Et quamquam Canon ex Concilio Triburiensi (*Dist. 19.* „ *Can. 3.*) desumtus duriorem videatur Episcopali huic exa- „ mini praescribere modum, haud tamen, si usibus Provinciarum „ obfutura sint Decreta Romana, ea repudiare simpliciter pro- „ hibetur, inquit *Rautenstrauch Sect. 2. c. 1. §. 146.* :„ Num id est Canonem ducem sequi, an non potius Duce Rautenstrauch a Canone deflectere?

At primò quod veretur Febronius, ne Decretum aliquod Pontificium utilitatibus peculiaris cujusquam Ecclesiae minus congruat, idipsum quoque de Concilii Generalis Decreto evenire posse, nemo diffitebitur; An propterea singulari cuique Episcopo hanc facultatem tribuet Febronius, ut Generalis Concilii Decreta examini suo subjiciat; et, si quidem minus ea sibi, suaeve Ecclesiae convenire judicaverit, jure suo repudiare illa simpliciter valeat? Quam Sententiam auctoritati Conciliorum Generalium adeo infestam, si animo imbibit Febronius, non eam ex antiquitate, non ex Canonibus, aut ex Ecclesiae Constitutione, sed ex novis tantum Magistris haurire potuit. Sane tota caussa, ob quam legis Pontificiae repudiandae facultatem singularibus Episcopis attribuit, haec est, quod Episcopo Deus regendam suam particularem Ecclesiam commisit, ad eumque propterea spectet de applicandâ lege judicare. Atqui hoc in Conciliaria non minus, quam in Pontificia Decreta torqueri potest; semper enim urgere poterit Episcopus, Ecclesiam se regere sibi a Deo commissam, ex quo si consequens est, ut Pontificia Decreta, etiam conse-
que-

quetur; ut Conciliaria, quandocumque minus illa Ecclesiae suae consentanea judicaverit, repudiare simpliciter valeat. Sed profecto haec ratio nec de Conciliaribus, nec de Pontificiis Decretis valet. Nam, ut hîc omittamus inquirere, num *mediate*, an *immediate* suam a Deo jurisdictionem Episcopi accipiant, fatetur Febronius, non Divino, sed Ecclesiastico tantum jure suam cuique Episcopo Gregis portionem attributam fuisse, eamque regendam accipere cum potestate alteri superiori Potestati subjectâ, in quo Catholici omnes conveniunt.

Praeterea non diffitetur Febronius, Episcopalis auctoritatis usum, exercitiumque Canonibus coarctari potuisse. Si ergo in Ecclesiâ potestas est aliqua, cui Episcopi subjici omnino debeant, repugnat certe, cuivis Episcopo liberum esse pro suo judicio, et arbitrio legem repudiare, quâ, qui Superiori eâ Potestate pollent, eos adstringere et volunt, et possunt. Insuper tali facultate constante, cui bono jam futura essent Provincialia Concilia, quae aliquando restitui vehementer Febronius exoptat? Et sane meritò; siquidem eâ mente, quâ Tridentini Patres haberi ea statis temporibus exoptarunt, videlicet non ad scindendam, sed ad confirmandam unitatem, et disciplinam. Etenim, posteaquam Conciliare Decretum latum fuerit, adhuc Episcopo cuilibet, utpote utilitatum suae Dioecesis Cognitori, et Arbitro integrum erit dispicere, utrum Decretum Ecclesiae suae conveniat, necne: Quo casu, quum nonnisi Episcopo probante admittendum sit, quid vetat, quo minus Episcopus proprio jure statuat, quidquid Conciliari Decreto statui posset?

Atque istic etiam meminisse oportebat, quod superius ex Barthelio Febronius descripsit, inter Episcopos, qui late per Orbem Ecclesiis praesunt, *citius reperiri contentiosos*, *pertinaces*, *scientiâ inflatos*, *aut aedificantis scientiae expertes*, a quibus et fidei, et disciplinae totius perturbatio metuenda sit, nisi unius Supremi Capitis efficaci auctoritate in Ordine, et Officio contineantur. Jam verò si *varietas* illa, et *contrarietas* terrarum, et hominum justam Auctore Febronio excusationem affert, ne superioris ejus auctoritatis Decreta recipiantur, jam patens, et expedita via paratur Episcopis istis, si qui sunt *contentiosi*, ac *pertinaces*, quâ jactare in omnem se partem valeant, et quae minus placeant, quantumvis aequa, et salutaria legitimae aucto-

rita-

ritatis jussa, detrectare. Quin potius, etsi nulli sint, quod libenter, ac facile credam, quales depingit Barthelius, pertinaces Episcopi, tamen quis nescit, quam frequenter pro ingeniorum varietate contingat, ut in unâ, eâdemque Sede Successori displiceant, quae Praedecessori placuere; et quae ab uno tamquam utilia, et propemodum necessaria judicata sint, ab alio nihil immutatâ rerum conditione velut noxia tamen, aut inutilia reprobentur? Ut proinde, si singulorum judicio superiorum Decretorum receptio, vel repudiatio permittatur, necesse sit, omnem formam, ac speciem communis, constantisve disciplinae interire. An forte persuasum est Febronio, nusquam Episcopo cuilibet instinctum Spiritûs Sancti deesse, ubicumque de repudiandis Romanis Decretis agatur?

At forte inquiet, quis negaverit, evenire aliquando posse, ut Romanum aliquod Decretum utilitatibus peculiaris cujuspiam Ecclesiae minus conveniat. aut etiam officiat? Nullum igitur suppetet remedium ad avertendum tam grave incommodum? Atqui paratum extat remedium, idque promtum, et saluberrimum. „ Si cui verò (inquit Pius IV. ad Tridentini mentem, cujus haec verba recitantur a Febronio p.112.) „ in iis aliquid obscurius di- „ ctum, aut statutum fuisse, eamque ob caussam interpretatio- „ ne, aut decisione aliquâ egere visum fuerit, ascendat ad locum, „ quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apostolicam, om- „ nium Fidelium Magistram, cujus auctoritatem etiam ipsa Sancta „ Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates, et „ controversias, si quae ex iis Decretis ortae fuerint, nobis de- „ clarandas, et decidendas, quemadmodum ipsa quoque Sancta „ Synodus decrevit, reservamus parati, sicut ea de nobis meri- „ to confisa est, Provinciarum necessitatibus eâ ratione, quae „ commodior Nobis visa fuerit, consulere. „ (a)

Vere testari ego possum, quam diligenter, quam caute Sacra Congregatio Concilii occurrentibus Ecclesiarum necessitatibus pro-

(a) Hoc ipsum argumentum copiose pertractat Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. l.9. c. 8. „ cujus inscriptio: „ Quomodo, Se gerere debeant „ Episcopi erga Apostolicam Sedem, si quam forte Pontificiam Constitu- „ tionem de aliquo disciplinae capite pro suis Dioecesibus minus opportu- „ nam esse censeant. „

prospiciat in id semper intenta, ne quid de Episcoporum juribus decedat, et salutaribus Concilii Decretis constituta Disciplina sancte, fideliterque servetur.

Atque ex dictis intelligitur, parum prodesse quod ad extremùm subjungit Febronius. „ His positis Pontificum Constitutio- „ nes, non tantum quae vetera renovant, sed etiam quae nova „ constituunt, nisi gravis obstet caussa, ab Episcopis reverenter „ suscipiendae, publicandae, et sancte custodiendae sunt, „ quandoquidem ea praemisit, quibus positis obedientia, quae commendatur, quandocumque libuerit, eludi, ac detractari valeat. Sed in hâc tamen confessione hoc saltem inest boni, quod testimonio minime suspecto magis, magisque confirmatur, a nemine, qui Catholicus audire velit, negari posse, quin *Decretales Romanorum Pontificum et reverenter suscipiendae sint, et sancte custodiendae*.

Sed nec istud omnino praetereundum, legis proprietates, quas recenset Febronius non minus civilibus, quam Ecclesiasticis legibus convenire; hanc vero praesertim, quod lex sit subjectorum utilitatibus accommodata. Id quippe et naturalis aequitas suadet, et omnium quum publici, tum privati juris Interpretum summâ consensione traditur. Jam in amplâ Ditione, quae Principi longe, lateque dominanti pareat, *in multâ illâ terrarum, hominumve varietate, et subinde contrarietate*, quam Febronius supra memorabat, quis melius locorum, ac temporum opportunitates perspectas habere potest, quam Incolae praecipui, aut Magistratus, seu Praefecti, qui singulis Provinciis, aut etiam Civitatibus, Oppidis, et Pagis praesunt, atque in publicarum, privatarumque rerum administratione versantur? Si ergo, quia cujuslibet singularis Dioecesis utilitates nemini magis exploratae sunt, quam proprio Episcopo, jus habet Episcopus superioris legis repudiandae, siquidem eam suae Dioecesi minus convenientem censuerit, ex hoc eodem principio idem quoque jus in quolibet aut Provinciae, aut Pagi Praefecto enascetur, ut sui Principis universales leges accurate inspicere debeat, easdemque aut recipere, aut repudiare, prout eas publicae utilitati convenire, aut non convenire judicaverit. Quod quantum publicae tranquillitati consentaneum sit, Febronius ipse viderit.

PO-

POSITIO XX.

„ Summo Pontifici jure Divino competit jus indicendi, di-
„ rigendi, et confirmandi universalia Concilia. „

ANIMADVERS.

Vix opus admonere, hâc quoque explanatione Febronium ei parti favere, quae Concilii auctoritatem prae Pontificiâ extollit, eaque libenter argumenta praeterire, quibus Pontificiae auctoritatis praestantia nititur. Sed haec in praesentiâ mittimus, quippe ille ad ulteriora progreditur.

Scilicet haec habet *p.* 122. „ Porro duplex auctoritas ad hanc
„ Conciliorum Congregationem concurrere potest, et solet: Ec-
„ clesiastica velut Judex, et Arbitra Fidei, et Religionis; Civi-
„ lis, ut Decreta Fidei, et Morum in forensi etiam judicio vim
„ legis publicae obtineant, et per omnes Imperii Provincias exe-
„ quutioni dari valeant. „

Haud scio, an Febronius certum hoc Dogma in dubium vocare velit, Decretis Fidei, ac Morum Fideles omnes, quam late patet Orbis Christianus, ipsosque Magistratus Civiles adstringi, adeoque in Ecclesiâ vigere, quemadmodum ab Apostolicis temporibus viguit, potestatem non solum edendi ejusmodi Decreta, sed ita etiam promulgandi, ut statim, atque in Fidelium notitiam venerint, nemo eisdem sine fidei detrimento repugnare, vel obsistere valeat. Num ergo, posteaquam Decretum prodiit, quo propositio aliqua velut haeretica damnatur, et opposita veritas tamquam revelata, et Fide Divinâ credenda proponitur, adhuc suspensus haerebit Vir Catholicus, aut ei expectanda erit venia Magistratûs, antequam Verbo Dei ab Ecclesiâ proposito assensum praestare audeat? Atqui nec ipse Magistratus vel punctum temporis haesitare valet, quin se dubium in fide, atque adeo infidelem profiteatur. Quae Apostoli ediderunt Decreta Fidei, et Morum, eo ipso nullo Civilis Potestatis interventu plenam vim legis apud Fideles omnes, atque in omni Christiano judicio habuerunt; Quam porro potestatem a Christo Apostoli habuere in re-
bus

bus ad Fidem, Religionemque pertinentibus, haec fatente Febronio in Successores omni aevo duratura pertransiit. Sic ergo a Christo Ecclesiae suae perennitati prospectum fuit, ut quod Apostolis satis fuit ad plenam exequutionem Decretorum Fidei, et Morum inter Fideles, id in omne posterum tempus satis esse deberet.

Atque hîc porro longe abest a Febronii mente Mens, et Sententia *Natalis Alexandri Dissert.* 28. *in* 4. *saecul. prop.* 3., ubi objectionem expendens ductam ex Epistolâ Constantii ad Concilium Ariminense respondere non dubitat, „ Veterem Ecclesiae „ disciplinam ex illâ Epistolâ colligi nec posse, nec debere, in „ quâ Constantius Ecclesiae Decreta absque suâ approbatione „ edita prorsus irrita esse jubet. *Non enim*, inquit, *illa vires* „ *habere poterit Definitio, cui nostra statuta testantur, jam* „ *nunc robur, et copiam denegari*. Et certe longe a Constanti„ ni mente verba illa absunt, qui de Causis Episcoporum in Con„ cilio Nicaeno ait: *Mihi vero non est fas, quum Homo sim,* „ *ejusmodi causarum cognitionem arrogare, praesertim quum,* „ *et qui accusant, et accusantur, Sacerdotes sint, ut refert* „ *Sozom. l.* 1. *c.* 16. Longe etiam dissimilia sunt verba illa Con„ stantii verbis Valentiniani Imperatoris, qui contestatus est, *in* „ *causâ Fidei, vel Ecclesiastici alicujus Ordinis eum judicare de*„ *bere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimili*, hoc est „ Sacerdotes de Sacerdotibus judicare, Teste *S. Ambrosio* „ *Epis.* 32.

De antiquarum Synodorum Convocatione haec tradit p. 122. „ Quod antiquae Synodi Generales fuerint indictae ab Imperatori„ bus, quorum Ditioni olim suberant omnes fere totius Ecclesiae „ partes, id non praetendebant facere ex jure proprio *Clavium* „ *Ecclesiae*, quae illis non fuerunt a Christo traditae, sed vel ex „ intentione sopiendi motus publicos Reipublicae noxios, vel ex „ zelo Religionis, quo consulere volebant Ecclesiae, ac fidei ad„ versûs exortas haereses, consopire dissensiones, et auctorita„ te Conciliorum scandalis occurrere praestito etiam, ubi opus „ fuerit, sumtuum subsidio; cui indictioni, atque consilio Sum„ mi Pontifices annuentes praebuerunt assensum jam anteceden„ tem, jam concomitantem, jam subsequentem, et Legatos ad „ Synodos direxerunt „. Sed haec planius, copiosius, et accu-

ratius explicantur *a V. Bellarmino lib. 2. de Concil. c.13. et seq.* quae loca omnino videnda.

Aliquâ porro etiam explicatione indiget, quod subjungit *Febronius pag.* 143. „ Interim actus Convocationis se solo spectatus nihil naturâ suâ Spirituale involvere videtur; proinde nihil prohibet, quin etsi Pontifici jus convocandarum Synodorum ex jure Regiminis Ecclesiastici competat, nihilominus Ministerium, et Auctoritas Potestatis Civilis ad illius exequutionem adhibeatur. „ Nimirum actus Convocationis non ita se solo spectari potest, quin ad aliquem finem referri intelligatur. Porro quemadmodum Convocatio Procerum Regni ad celebranda Comitia Actus est publicae potestatis, sic Convocatio Praesulum Ecclesiae ad ea tractanda, quae ad Religionis statum pertinent, Actus est Ecclesiasticae potestatis; atque adeo spectato fine, ad quem refertur, omnino est in Spiritualium actionum genere ponenda. Sed quum multis externis adjumentis plerumque opus habeat ejusmodi Convocatio, in his quidem suppeditandis, ac praesidio suo muniendis laudabiliter auctoritatem suam Civilis Potestas adhibebit.

Subinde agit Febronius de caussis convocandi Concilii extraordinariis etiam absque interventu Pontificis, valdeque inhaeret sententiae, quam supra indicavimus. Quam disputationem, ut jam dictum est, eâ de caussâ praeterimus, quod et longiorem sermonem postularet, et aliunde a doctissimis Viris tota haec causa copiose, ac diligenter est pertractata. Videndus *Bellarminus loc. cit.*

Sed quod propius causam nostram attingit, minime praetereunda, quae scribit Alliacensi consentiens *Natalis Alexander Hist. Eccles. Tom.* 8. *Diss.* 12., „ Sedem Apostolicam excludere ab examine, summoque judicio quaestionum Fidei haereticum est. „ Quippe jam sic statuerat Alliacensis: Ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali Supremâ circa ea, quae sunt Fidei, judicialiter definire. „ Cujus assertionis hanc affert probationem: „ Ad illius tamquam ad Supremi Judicis auctoritatem pertinet in fide judicialiter definire, cujus fides nunquam deficit: Sed Sanctae Sedis Apostolicae fides nunquam deficit ..... &c. Ad quae haec subjungit *Natalis Alexander* „ Paullo aliter *S. Cyprianus* habet *lib. de Unitat.* .....

Qui

„ Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, de-
„ serit, in Ecclesia se esse confidit? ...„

POSITIO XXI.

„ Generalia Concilia sortiuntur firmitatem independenter „ a quâcumque aliâ acceptatione. „

ANIMADVERS.

PRopositâ quaestione, quânam certâ, et clarâ regulâ Concilia rite celebrata discerni ab aliis valeant, refert primum recentioris religiosi Theologi responsum hisce verbis. „ Si quaedam sint, „ de quibus prudenter dubitari queat, rite, necne, ac legitime „ celebrata sint, *tunc Ecclesiae judicium attendendum est*,

Recte porro monet Febronius, ad illud Ecclesiae judicium, quod in tali dubio desiderat laudatus Theologus, a Bossuetio superaddi „ *Cum Sedis Apostolicae confirmatione*, cui necessario Clarissimi Praesulis addito subscriptorem se praebet Febronius; „ Bene utique, *inquit*; si enim juxta tradita praecedenti Positio- „ ne in constituendo Generali Concilio omnino desideratur Con- „ sensus Pontificis, ille non minus requiretur ad explicandum „ dubium, num illud revera Generale sit. „ Quamquam et existimo, laudatum Theologum, dum ad Ecclesiae judicium provocat, in eo Ecclesiae judicio Apostolicae Sedis Confirmationem potissimum spectasse.

Monet ad extremum: „ Porro, dum dicimus, Concilia Ge- „ neralia suam sortiri firmitatem independenter a quâcumque aliâ „ acceptatione, id intelligimus *de Decretis fidei*, *et morum*. „ Quid ergo sibi vult Febronius, quum loquens, ut supra vidimus, de ipsismet Decretis Fidei, et Morum Potestatis Civilis assensum desiderat, ut in forensi judicio vim legis obtineant, et exequutioni dari valeant?

POSITIO XXII.

„ Concilium Tridentinum etiam in rebus Disciplinae liberum fuit „.

ANIMADVERS.

AD caetera momenta, quibus hanc probat Concilii libertatem, addit Racinii testimonium, quem ait, Scriptorem esse in hâc parte minime suspectum; quo in testimonio legitur judicium, quod de Paulo Sarpio ferebat Interpres ejus Courayerius vocans eum, (prout verbis Gallicis expressum refertur a Febronio) *Catholique en gros, Protestant en detail.* Itemque non omittitur a Febronio judicium, quod ipse idem Racinius de Pauli famosâ Historiâ protulit, quam dicere non dubitat multis partibus vitiosissimam.

POSITIO XXIII.

„ Causae Criminales Episcoporum per Concilium Tridentinum Romano Pontifici merito reservatae sunt „.

ANIMADVERS.

ADstipulatorem se praebet hoc loco Febronius Petro De Marca opinanti, Sardicensibus Canonibus *ansam, et originem juris Romanae Sedis ad Canonica Episcoporum judicia deberi*: Quos ille proinde sic interpretatur, ut velit, per eos „ Episcopis in „ Provinciali Synodo damnatis permitti recursum ad Romanum „ Pontificem, qui quidem de causâ non judicialiter cognoscat; sed „ indaget solum, an causâ talis sit, quae novum examen deposcat; hoc si Pontifex deprehenderit, concedere illi sacram Synodum *in honorem, et memoriam Beati Petri*, ut praeter Episcopos Provinciae, in quâ causa judicata est, ex finitimis Provinciis Cognitores tribuat, qui unâ cum prioribus Judicibus „ causam denuo, non quidem Romae, sed in partibus excutiant etc. „ ita *pag.* 144.

At facile Febronius animadvertere poterat, longe ante Canones

nones Sardicenses hunc morem in Ecclesiâ viguisse, ut Episcopi Conciliorum judicio, ac sententiâ damnati ad Apostolicam Sedem confugerent, quod quum permultis aliis, tum celebri Athanasii facto comprobatur, quod ille ipse innuit hujusce explanationis initio (*). Quo exemplo eo magis Febronium commoveri decebat, quod, ut refert doctissimus *Christianus Lupus (de Gallicanae Ecclesiae Romanis appellationibus cap.* 4.) ,, Gloriosus Trevirensium Antistes Maximinus Papae Julio Auctor fuit non dumtaxat, ut Sanctum Athanasium statim revestiret, sed etiam ut ejus Damnatores citaret Romam; et hanc vetustam Romanae appellationis disciplinam curavit innovari, atque firmari per Sardicenses Canones ,,. Cujus moris, ac disciplinae plura mox profert, eademque luculentissima documenta ibidem videnda.

Praeterea jus appellationum ad Romanam Sedem non esse a Sardicensi Concilio institutum, sed ex Primatu Divinitûs ei Sedi collato sponte profluere invicte demonstrat *Natalis Alexander Dissert.*28. *in IV. Sec.*, planeque diluit commentitiam interpretationem a Petro De Marca in hunc locum invectam, quâ revisionis dumtaxat decernendae, non judicandarum appellationum potestatem a Sardicensi Concilio agnitam, vel tributam contendit. Praeterquam quod et istud addi potest, praestantissimum munus, quo sese jurisdictio explicat, in dandis potissimum Judicibus eminere: quâ potestate qui pollet, ei judiciariam potestatem denegare prorsus absonum est.

Nimis longum foret argumenta promere omnia, quae in hanc rem faciunt, quaeque jam diligenter collecta reperiuntur quum apud Christianum Lupum, tum in laudatâ Dissertatione Natalis Alexandri, atque in notis, et animadversionibus, quas doctus Praesul Johannes Dominicus Mansi eidem adjunxit.

Non tamen praereundum, si constare sibi voluisset Febronius, nullo eum in pretio novam illam Petri De Marca distinctiunculam habiturum fuisse. Quid enim auctoritatis in novitate potest esse apud eum, qui se antiquitatis retinentissimum profiteatur? Atqui

(*) De Athanasii restitutione per Sedem Apostolicam factâ, velut de re notâ, et perspectâ loquitur S. Coelestinus I. (Epist. ad Clerum, et Populum Constantinopolitanum apud Labb. tom. 3. edit. Ven. Col. 922.) ,, Denique hinc ei (Athanasio) redintegratus est Status, et in hâc Sede requiem communionis invenit, a quâ semper Catholicis subvenitur ,,.

Atqui se hujus distinctionis primum Inventorem palam praedicat Petrus De Marca, nec parum de hoc novo invento plaudere sibi videtur. „ Haec, *inquit*, interpretatio mea est, quam quum „ aliquot Viris doctis aperuissem, eam illi suffragio suo compro- „ barunt. „ In quae verba laudatus Praesul Mansi „ Ex hoc solum, „ *inquit*, quod interpretatio D. De Marca per tot saecula latuerit, „ omnesque usque ad illum in Canone Sardicensi legerint illud „ jus, quod et ipse Natalis Romano vindicat Pontifici, satis inno- „ tescit, De Marca veritatem non esse assequutum; quod et mi- „ rum est, non cognovisse, quum ad suam intrudendam explica- „ tionem coactus fuerit discedere a germanâ intelligentiâ illarum „ vocum *appellandi*, seu provocandi, quae in Canone conti- „ nentur „.

Fatetur tamen De Marca assentiente quoque Febronio, Causas fidei, et regulas generales Ecclesiae universae a Conciliis istis absque interventu auctoritatis Episcopi Romani tractari non potuisse. Quin addit „: Summi Pontifices non solum cognoscebant de „ Appellationibus Orientalium, quando agebatur *de Fide*, sed „ etiam primam causae cognitionem ad se trahebant, si de hae- „ resi ageretur; Etenim materia fidei est causa communis. Hoc „ jure usus est Coelestinus adversùs Nestorium „.

Recte id quidem, sed plane discrepans, et alienum, quod hic rursum Febronius inclinat in commentitiam illam Petri De Marca opinationem, quam superius jam exposuit *Posit.* 12., quâ non aliae partes Pontifici relinqui videntur, saltem in deponendis Patriarchis, quam ut exequutorem se praebeat latae sententiae adversùs haeresis Auctores, eorumque complices: quod vel solo Coelestini facto abunde refellitur. Quâ de re, si non satis pro dignitate, plusquam satis pro refutando errore supra etiam dictum est. Verum Petrus De Marca, cujus verba exscribit Febronius, praesidium sententiae suae comparare studuit ab auctoritate Gelasii, qui scilicet „ Commonitorio ad Faustum respondet, De- „ cessorem suum Felicem, qui Acacium damnaverat, *exequuto-* „ *rem fuisse veteris constituti, non novae constitutionis Aucto-* „ *rem* „.

At profecto De Marca, dum haec scriberet, aut Gelasii Commonitorium sub oculis non habuit, aut in eo referendo minus accuratum se praebuit. Objecerat Euphemius, *Acacium ab uno non*

non potuisse damnari. Redarguit Gelasius hominis inscitiam, ac primo loco eum facti errore labi ostendit. *Itane*, inquit, *non perspicit secundum formam Synodi Chalcedonensis Acacium fuisse damnatum*? Ex quo merito infert Gelasius id, quod est a De Marca notatum, Felicem Decessorem suum in Acacio damnando *Exequutorem fuisse veteris constituti*, *non novae constitutionis Auctorem*. At forte putabimus, hoc uno *exequendi* munere Gelasium Pontificiae Potestatis in exercendis judiciis amplitudinem circumscripsisse? Immo quod a Romano Pontifice factum adversus Acacium querebatur Euphemius, illud ipsum a quovis alio Antistite fieri potuisse, Gelasius declarat his verbis, quae proxime sequuntur „. Quod non solum Praesuli Apostolico facere licet, sed cuicumque Pontifici, ut quoslibet, et quemlibet locum secundum regulam haereseos ante damnatae a Catholicâ Communione discernant „. Et sane nemo est Catholicus Antistes, qui non debeat velut a Catholicâ Communione alienum repellere, qui se se damnatae haeresis Sectatorem profiteatur.

Posteaquam vero ineptas Euphemii Criminationes Gelasius diluit, inscitiam hominis *ad hominem*, ut ajunt, convincendo, mox accedit ad Apostolicae Sedis jura explicanda, atque ad eorum temeritatem revincendam, qui Canones jactare non verebantur, ut Supremae Sedis auctoritatem, non canonico tantum, sed et Divino jure constitutam lacesserent. Pergit itaque „: Nobis opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur; contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primae Sedi sana, rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus Sedis examen voluere deferri; ab ipsâ vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de totâ Ecclesiâ judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam praeceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius Decreta sequenda mandarunt „.

Et post pauca: „ Nobis ausi sunt facere Canonum mentionem, contra quos semper ambitionibus illicitis fecisse monstrantur „

Ac deinceps: „ Ineptias itaque suas sibi servent, nisi resipiscant potius cogitantes, Christi vocem non esse superfluam, quae confessioni Beati Petri Apostoli inferni portas nunquam praevalituras asseruit. Quâ propter non veremur, ne Apostolica

„ ca Sententia resolvatur, quam et vox Christi, et Majorum „ Traditio, et Canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Ecclesiam ipsa semper dijudicet „.

Hoc vero laudandum, quod Febronius non praetermiserit innuere plura, et varia, quae De Marca collegit judicia Episcoporum a D. Gregorio celebrata, et quidem Romae; nec solum in causis Episcoporum Italiae, sed etiam aliarum Provinciarum. Non tacet, in Concilio Francofurtano an. 794. conflato ex Episcopis Germaniae, Galliae, et Aquitaniae nonnullas causas ad Romanae Sedis decisionem ablegatas fuisse his verbis: „ De Tarentasiâ vero, et Ebreduno, sive Aquis Legatio facta est ad „ Sedem Apostolicam, et quidquid per Pontificem Romanae Ecclesiae definitum fuerit, hoc teneatur „. Sed nec praetereundum erat, caeteras causas idem Concilium ex Decretis Pontificum Innocentii, Zosimi etc. definivisse.

Notat porro, his velut initiis gradum factum esse ad novum ordinem judiciorum, qui post Isidorianam collectionem latius invaluit. Non jam ergo ex Isidorianâ collectione novus ordo, sed potius ex ordine jam recepto Isidoriana collectio prodiit, ut inter caeteros doctus Ballerinius probe animadvertit.

Subinde post nonnullas disquisitiones de causis majoribus, et minoribus exceptiones quasdam memorat in *Tridentino Concilio* allegatas adversûs dispositionem *Sess.* 24. *c.* 5. *de Reform.*, quas velut peculiaribus caussis innixas non improbat quidem, sed hâc tamen cautione, scilicet „ Subsistente de caetero universitate Legis Conciliaris fundatae in eminentiâ Ordinis Episcopalis, Su„ prematu Romani Pontificis . . . . . et nexu, quo omnes Epi„ scopi sub uno Capite colligantur &c. . . . . . „ Hanc demum Disciplinam, quam agnoscit nunc universalis Concilii Decreto firmatam, fatetur, *antiquiori etiam, et ante Isidoriano Aevo non incognitam fuisse*. Verum de Isidorianâ Collectione nonnulla deinceps dicenda occurrent.

PO-

POSITIO XXIV.

„ Pro Supremâ Potestate Pontifici in universâ Ecclesiâ colla-
„ tâ ille sibi, suoque Judicio quaedam graviora peccata jure re-
„ servat. „

ANIMADVERS.

NON potuit Febronius non agnoscere in Pontifice jus istud ab Oecumenicâ Tridentinâ Synodo tam aperte, tam expresse agnitum, declaratum, ac sancitum. At postea serpere incepit more suo, quo id juris velut pedetentim imminuat, ac fere tandem in nihilum redigat.

Profert Decretum Synodi Lemovicensis ann. 1031., quo splendide jus istud demonstratur his verbis: „ *Judicium enim totius Ecclesiae maxime in Apostolicâ Romanâ Sede constat*. Sed, ne Pontificio juri nimium favere videretur gravissima haec auctoritas, continuô subjungit: „ Huic regulae, ne nimium generalis, „ et indefinita videatur, Patres ejusdem Concilii deinde legiti- „ mam restrictionem, seu veriûs interpretationem addidere his „ verbis: Apostolici Romani Episcoporum omnium sententiam „ confirmare, non dissolvere debent, quia sicut Membra Caput „ suum sequi, ita Caput Membra sua necesse est non contrista- „ ri. „ Verum satis patet, hisce verbis Patres spectasse ad moderationem quamdam in usu potestatis insinuandam, non ad potestatem coërcendam ejus Sedis, in quâ totius Ecclesiae judicium maxime constare expresse agnoverant.

Similiter, quod ille profert ex Concilio Salegunstadiensi anni 1022.: „ Decrevit quoque Sancta Synodus, ut nullus (Poeni- „ tentiae caussâ) Romam eat, nisi cum licentiâ sui Episcopi, „ vel ejus Vicarii, „ ad praecavendas potius falsò Poenitentium fraudes, quam ad minuendam Pontificis potestatem spectare, agnoscit *Thomassinus p.* 1. *l.* 1. *c.6.n.9.* „ Poenitentium, *inquit*, „ aut Impoenitentium potius fraudibus obviam tum ibant Episco- „ pi, non Papae potestati eximiae. „ Quod luculenter ille probat consimili Decreto Lemovicensis Synodi per ea tempora, scilicet an. 1032., habitae, quae Synodus cassas, et inutiles pronuntiabat nonnullas istiusmodi absolutiones, non quod tantae potestatis

expers esset Is, a quo extortae fuerant, sed quod eas vere extorsissent ii, qui obrepserant Pontifici. „ Quum ergo, *inquiunt Patres*, tales deceperint Apostolicum, ut fraudulenter absolvantur ab eo, irrita est illa absolutio. „ Irrita, inquam, ob vitium obreptionis, non ob defectum potestatis.

Jam videndum, quid ex citatis a se Decretis concludi posse Febronius censuerit. „ Ita est, *inquit p.* 157. „ Papa potest condere leges, & constitutiones; potest facere reservationes, sed non debet contristari Episcopos, hoc est impedire in exercitio Officii sui Pastoralis. Episcopi per se sunt Ministri Sacramenti Poenitentiae sine ullâ reservatione cujuscumque Tribunalis superioris. „

Vel hîc Febronius loquitur de potestate Ordinis, & haec ad propositum non facit. Quippe et hâc pollent inferiores Sacerdotes, quos tamen fatetur Febronius, semper subjectos fuisse reservationibus Episcoporum adeo, „ ut absolutio Presbyteri esset invalida, nisi esset conformis intentioni Episcoporum sibi ejusmodi graviorum scelerum disciplinam per Canones Poenitentiales reservantium. „ *p.* 153.

Vel loquitur de potestate jurisdictionis, tumque aut eam negat, quoad exercitium, superiori auctoritate constringi posse, atque hoc ipso necesse est, eum et secum ipso, et cum Canonibus aperte pugnare; aut si fatetur, concedat etiam, oportet, eisdem restrictionibus Pastorale Officium in Episcopis obnoxium esse. Et quemadmodum Canones, quibus casibus Episcopalis jurisdictionis exercitium contraxerunt, non propterea censentur Pastorali Officio impedimentum aliquod attulisse; sic Pontifex, dum pro Supremâ potestate, quâ, ut loquuntur Tridentini Patres, pollet in universâ Ecclesiâ, nonnullorum scelerum judicium sibi reservat, non magis censendus est Pastorale Officium Episcoporum impedire, quum id Officium vi Ecclesiasticae Hierarchiae a Christo institutae semper, ac necessariò exigi debeat ad praescriptum regularum, quae legitimâ Canonum, Pontificiarumve Constitutionum auctoritate firmantur.

Pergit Febronius: „ Episcopis ipsis subinde visum bonum, et utile esse pro Foro poenitentiali, ut ad majorem terrorem injiciendum graviora quaedam crimina Romanae Sedi pro obtinendâ absolutione reservarentur. Fecit hoc suâ auctoritate

Pon-

„ Pontifex; nihil hîc, quod Episcopos in exercitio sui Ministerii „ aut turbet, aut arctet, quin immo sic in eodem adjuvantur: „ „ *Magnopere*, inquiunt Tridentini Patres, *ad Christiani Populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut* „ *atrociora quaedam crimina non a quibusvis, sed a Summis* „ *Sacerdotibus absolverentur*. Ita *Febr. p.157.* „

Quod utilitas, quae ad graviora crimina comprimenda oritur ex eo, quod ea *Romanae Sedi pro obtinendâ absolutione reserventur*, occasionem aliquando praebuerit ejus explicandae potestatis, quâ in reservationum causâ pollet Romana Sedes, id vero ab aliis etiam dictum comperio: Quod autem ad hanc explicandam potestatem praecedere debuerit Episcoporum suffragatio adeo, ut in reservandis delictis Pontifices delatâ potius, quam nativâ auctoritate usi sint (prout ex paullo ambiguis Febronii verbis suspicari forte quis posset), id prorsus alienum foret a Tridentinorum Patrum sanctione, qui hanc potestatem non aliunde repetunt, quam ex Supremâ auctoritate, quâ Pontifices pollent in Ecclesiâ. Tridentinae Sententiae plane consentiunt *Collationes Andegavenses*, quas laudat Febronius *p.155.*, dum notant, tametsi minus antiquus foret harum reservationum usus, non minus certum futurum de illis sanciendis jus Romanorum Pontificum, quod nimirum illorum Primatus, et Auctoritas paris sit cum Ecclesiâ antiquitatis, et Divinâ institutione nitatur. Nec ipse Febronius palam dissentire videri voluit, quippe in eâ Orationis ambiguitate sic reservationes innuit ab Episcopis delatas ad Pontifices, ut tamen dicat, factum id esse auctoritate Pontificum.

Deinceps vero animum suum paullo apertius expromit: „ „ Sed non possumus non hîc repetere, quod jam a nobis *Pos.7., et 19.* dictum est: Si novae Constitutiones Apostolicae emanent, „ quibus hactenus non usitatae, seu nec dum receptae reserva- „ tiones continentur, Episcoporum tamquam a Spiritu Sancto „ ad regendas suas Ecclesias positorum esse, ut videant, et in- „ dagent, si eae suis Ecclesiis conveniant. „ De hâc facultate, quam Episcopis tribuit Febronius, nonnulla superius dicta sunt; alia porro etiam infra subjicientur, quae nullo negotio in hunc locum transferri poterunt.

POSITIO XXV.

„ Papa habet potestatem Dispensandi ex legitimâ caussâ in „ lege a Generali Concilio latâ . „

ANIMADVERS.

Auctore Bossuetio vindicat Febronius Sedis Apostolicae Dispensationes, *quas nemo Catholicus negaverit*; quae ab ipsâ Basileensi Synodo luculenter asseruntur, planeque confirmantur a Tridentinâ. In antiquissimis Pontificum Epistolis *a P. Coustant* collectis non infrequentem jam ab illis temporibus juris istius usum inveniri animadvertit; et Auctore *Thomassino p.2.l.3. c.4.*, „ quamdiu Ecclesia Orientalis Occidentali unita fuit, eam hanc „ in Sede Romanâ, ejusque Praesule, tamquam Capite univer- „ salis Ecclesiae, auctoritatem agnovisse.

Sed non facile patitur Febronius, aliquam in Capite dignitatem eminere, quam non aliquâ ratione aut detrahere, aut imminuere, aut saltem cum aliis communem facere contendat. Sic itaque agnoscit in Pontifice dispensandi potestatem, ut „ neque tamen eapropter existimandum sit, Episcopis aliquid pro „ re natâ favore suorum Dioecesanorum de rigore Canonis rela- „ xandi facultatem ademtam esse. „ Et id quidem vi ejus auctoritatis, quâ pollere illos dicit *tamquam a Deo cum indefinitâ potestate ligandi, atque solvendi positos*. Atque hinc consequens esse putat, pro regulâ tenendum, Episcopos eâ facultate pollere, nisi speciatim fuerit eis ademta.

Multa hîc notanda. 1. Videndum, quemadmodum *indefinita* dici valeat potestas, quam alteri superiori potestati subjectam esse, constet.

2. Fatetur Febronius, Episcopos eâ potestate carere, ubicumque speciatim ademta sit. Porro, si cum indefinitâ potestate a Deo positi sunt Episcopi, quis jam potestatem adimere queat, quam Deus contulerit? Quod si Deus eam sic contulit, ut superioris potestatis legibus teneretur, nihil ex potestate sic collatâ momenti suppetit ad indefinitam dispensandi facultatem singulis Episcopis asserendam.

3. Re-

3. Regulae, quam tenendam proponit Febronius, contrariam regulam communi Canonici Juris Interpretum consensu probatam opponit *Thomassinus p.1. l.2. c.13. num.8.* „ Eo, *in-* „ *quit*, fundamento nititur illa Canonistarum distinctio, quando „ docênt, eô differre dispensationes ab absolutionibus, quod dis- „ pensare non possint Episcopi, nisi ubi illa eis expresse in jure „ potestas conceditur; at absolvere a quibuscumque possint cri- „ minibus, nisi ubi expresse Pontifici Summo reservata fuerit. „ Quippe Ordo Episcopalis plenissimam complectitur potesta- „ tem remittendorum peccatorum, non relaxandarum legum. „

4. Superior illa regula refellitur vel ipsâ Synodi Basileensis sententiâ, quae hîc refertur a Febronio. Profitetur Synodus, statutis suis nullo pacto derogari Pontificis potestati, quin pro tempore, loco, caussisque, et personis utilitate, vel necessitate suadente moderari, dispensareque possit, atque uti Summi Principis Epikejâ, quae ab eo auferri nequit. Non dicit Synodus, hanc se potestatem Pontifici tribuere, sed eam in Pontifice agnoscit velut insigne quoddam auctoritatis, quod ejus ita proprium sit, ut ab eo divelli nequeat. Quid porrò foret in Pontifice praecipuum, si quilibet Episcopus ejusdem Epikejae utendae jus, facultatemque haberet, possetque in suâ quisque Dioecesi *pro re natâ*, idest quum sibi utilitas, aut necessitas exposcere videretur, non secus, ac Pontifex Canonum rigorem relaxare?

5. Pugnat haec eadem regula cum universali Ecclesiae disciplinâ, nimirum cum Decretalibus, quibus commune Canonicum jus conflatur; quodque vim legis universalis habere nec ipse Van-Espen diffitetur: Ex multis unum proferre satis fuerit. *Cap. Dilectus 15. de temp. Ord.* Episcopus arguitur, qui uno, eodemque die plures Sacros Ordines contulerat, atque ad facti excusationem Archiepiscopi sui mandatum (licet falsò) afferebat. Declarat porro Pontifex, etiamsi de Archiepiscopi mandato constitisset, non debuisse Episcopum hâc in parte ipsi obtemperare: Quum illi (Archiepiscopo) *Dispensatio a Canone minime sit permissa* (a). Ex quo pa-

(a) Equidem quod attinet ad probationis vim, quae ex hoc capite duci solet, dubitationem aliquam movere posset, quod animadvertit Benedictus XIV. de Syn. Dioeces: l.9 c.1. n.7. „ In eâ Decretali, quae refertur a „ Gonzalez post verbum *permissa*, haec alia subduntur: *Quam ad solam* „ *Re-*

patet, jus Canonicum, quo praesens Ecclesiae disciplina continetur, nullam in Episcopis facultatem agnoscere veniae hujus indulgendae, nisi prout ea facultas jure ipso concessa sit, ut proinde non minus scite, quam vere dicere potuerit eximius Canonici juris Interpres *Emmanuel Gonzalez in Cap. Dilectus* post insignem Theologum Basilium Poncium, *Dispensationem non esse ex his, quae competunt, si non prohibeantur; sed ex his, quae non competunt, nisi concedantur*. Quod etiam paullo superius eisdem fere verbis expressum a Thomassino vidimus.

Frustra vero innuit *Febronius p.163.*, „ *Tridentinam Synodum* illi suae regulae favere *sess.24. c.6.*, quin potius ex eo capite contraria elicitur. Ibi Tridentinum potestatem facit Episcopis in irregularitatibus dispensandi, quae ex occulto delicto proveniunt. Ex quo merito quisque inferat, Concilium eam potestatem concedendo pro casibus occultis non eam tribuere voluisse pro publicis; illâque ipsâ concessione Patres ipsos manifeste ostendisse, nec pro casibus occultis ullam facultatem Episcopos jure suo habituros fuisse, nisi expresse illis tribueretur.

6. Nec tamen existimandum, praesentem disciplinam veteris disciplinae menti quidquam hâc in parte detraxisse, quod praedicare non desinunt, quibus mos est vetera jactare, ut nova moliantur non secus, atque facere solent Cives illi, de quibus *Cic. Acad. Quaest. l.2.*, qui, quum Rempublicam bene constitutam

---

„ *Romanum Pontificem non est dubium pertinere*: Ex quibus posset quis conjicere, potestatem relaxandi legem, de quâ agebatur, fuisse a jure Episcopis ademtam, unique Romano Pontifici reservatam. „ At simul probe idem notat, nulli cavillationi obnoxios esse textus alios, quos refert, primum in *Clement. Ne Romani 2. De Elect.*; alterum *in Cap. Sancta Romana De Religiosis Domibus* inter Extravag. Joannis XXII., quae non secus atque Decretalis *Dilectus* plenam vim habent juris communis fatente ipsomet Van-Espen in prolegom. §.5. „ Itaque quae ex Decretalibus Gregorii IX., aut „ sexto Decretalium Bonifacii VIII., vel Clementinis, vel Extravagantibus „ in hoc opere referuntur, pro jure communi recipienda sunt, et pro jure „ servanda, quousque ostendatur, jure scripto, vel consuetudinario, seu „ generali, seu particulari ab hoc jure communi recessum. „ Quin insuper notat, juris hujusce communis auctoritatem ubique vel ipso praeterito Saeculo ita firmiter stabilitam extitisse, „ ut, licet plures Provinciae auctoritatem „ Romani Pontificis excusserint, nihilominus hoc jus Canonicum pro jure „ communi constanter retinuerint. „

tam perturbare volunt, aliquos ex antiquis claros Viros proferunt, quos dicant fuisse populares, ut eorum ipsi similes esse videantur. Nihil tam a veritate alienum, quam quod isti nostri Perturbatores jactare solent, Episcopos olim plenam, atque indefinitam quamdam potestatem suis in regendis Dioecesibus exercuisse; quo fit, ut non pauci etiam boni homines, at non satis intelligentes, invidiâ quâdam moveantur adversûs leges, quibus velut totidem adjectis vinculis praeter antiquum jus constrictam fuisse pristinam Episcoporum auctoritatem, arbitrantur. Atqui tamen eam certis, ac circumscriptis terminis definitam jam ab initio fuisse ex ipsismet vetustissimis Canonibus Apostolicis perspicitur, quibus, ut paullo ante animadvertimus, antiquae disciplinae lineamenta continentur, quae consequentibus aetatibus pro rerum, ac temporum opportunitate nova identidem incrementa cepit.

Atque ut ad dispensationes singillatim orationem revocemus, vel ipsis exemplis, quae hoc loco a Febronio proferuntur sumta plerumque ex *P. Coustant*, novae, ac veteris disciplinae consensio elucet, illo imprimis, quo „ Anastasius Papa ab Episcopis „ Africae interpellatur, ut Clerici a partibus Donatistarum ad „ Sinum Catholicae Ecclesiae reversuri iis in Ordinibus relin„ quantur, quibus apud suos fruuntur eo, quod hâc ratione plu„ res ad reunionem valeant allici. „ Ejus proinde capiendi consilii necessitatem, seu opportunitatem suadebat non unius tantum, sed perspecta, et evidens universalis Ecclesiae utilitas. Quia tamen transmarini Concilii Decretum adversari videbatur, *Afri Episcopi sine Apostolicae Sedis consensu sumere sibi ausi non sunt*, ait *Coustant p.734.*, ut ejus Decreti vim, et auctoritatem temperarent. Atqui tamen, ut habet *Thomassinus p. 2. l. 3. c. 24.*, „ erat Carthaginensis Archiepiscopi eminentissima quaedam ho„ noris, et potestatis praerogativa supra Episcopos omnes Afri„ canos, Primatesque, sive Metropolitanos. Quidquid Patriar„ chis, et Conciliis eorum Dioecesanis, sive Universalibus juris „ inerat, et auctoritatis, inerat et Carthaginiensi. Non alia suae „ libertatis, et antiquae auctoritatis amantior, et retinentior fuit „ Ecclesia, quam Africana „. *At nihilominus* „ Universa haec „ Ecclesia ad Anastasium Papam confugit, ut dispensationem „ eliceret „.

Extant apud *Labb. tom. 5.* Epistolae Tarraconensium Episcoporum

porum ad Hilarum Papam, quibus de Ordinatione Episcopi per Silvanum Calaguritanum contra Patrum regulas, et Nicaenos Canones factâ conqueruntur; eumque consulunt, quid facto sit opus. Has porro Epistolas duo memoratu digna continere, rite observat *Severinus Binius*: „ Unum, quod ad Romanam Sedem „ tantum pertineat dispensare in iis, quae contra Canones prae- „ sumta sunt: Alterum, quod nullius Concilii Provincialis tanta „ est auctoritas, ut inconsultâ Sede Apostolicâ id praestare po- „ tuerit. „

Aliud exemplum suppeditat *Leonis Magni Epistola* 54., quae est *ad Marcianum*. Depositus fuerat in Latrocinio Ephesino Domnus Antiochenus, in ejusque locum suffectus, seu potius intrusus Maximus, quem juribus invitis Anatolius Constantinopolitanus ordinaverat. Sed quum Ecclesiae pax postulare videretur, ut suffectus Antiochenus, qui rectam fidem professus fuerat, in eâ Sede remaneret, non aliter id consequi potuit, quam veniâ, et indulgentiâ Romani Pontificis.

Consentit gravissima Symmachi Papae sententia in celebri sextâ Romanâ Synodo, frequentissimorum ex omni Regione Patrum suffragio, crebrisque acclamationibus comprobatâ. *Apud Labb. Edit. Ven. tom.*5. *Col.*509. „ Nos enim (praefatus Pontifex) et Apostolicae Sedis moderamine compellimur, et Eccle- „ siasticarum rerum dispositione constringimur sic Canonum „ paternorum decreta librare, et retro Praesulum, Antecesso- „ rumque nostrorum decreta metiri, ut quae praesentium neces- „ sitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda exposcit, adhi- „ bitâ diligenti consideratione, quantum fieri potest, auxiliante „ Domino temperemus. „

Claruit luculentissime haec eadem Pontificiae auctoritatis praestantia in dispensationibus, quas Oecumenicam Synodum octavam ab uno Pontifice petendas censuisse memorat *Natalis Alexander Dissert. de Photiano Schismate* § 22. „ Scripserunt „ etiam ad eumdem Pontificem (Hadrianum II.) Basilius Augu- „ stus, et Ignatius Patriarcha ejus Sanctitatem rogantes, ut de „ Lectoribus plurimis ordinatis a Photio sententiam diceret, de „ quibus non judicarat Synodus, an a Sacerdotii Ordinatione „ in perpetuum removendi essent, eisve gratiam faceret ob Ec- „ clesiae necessitatem. Rogabant etiam, ut cum Theodoro Me-

„ tro-

„ tropolitâ Cariae dispensaret, eique restitueret Episcopatum,
„ quia multa pro Ignatio passus fuerat; nec defecerat ad Pho-
„ tium, nisi tormentis compulsus. Intercedebant denique pro
„ Paulo Cartophylace, ut concessâ ipsi veniâ posset ad Episco-
„ patum promoveri. Magnificum sane pro Romani Pontificis Pri-
„ matu testimonium, quod Synodus Oecumenica dispensationes
„ a Summo Pontifice roget; eique, non aliis Patriarchis pote-
„ statem a Christo concreditam agnoscat temperandi severitatem
„ Canonum, qui ab Ecclesiâ recepti sunt universâ. „

Demum, ut alia praeteream, ex responso Innocentii III. ad Archiepiscopum Bracarensem *c.Consilium 2. de observ. Jejun.* intelligitur, censuisse Archiepiscopum, haud sibi licere, ut cum singulis etiam suis Subditis in lege Quadragesimalis jejunii vel ipsâ premente inopiâ dispensaret. Quam in rem refert Gonzalez auctore Balsamone, in Ecclesiâ Orientali Aegrotis ipsis non aliter esum Carnium concessum fuisse, nisi licentiâ Synodice petitâ. Non ergo censebantur singuli Episcopi in universali Ecclesiae lege posse propriâ auctoritate dispensare. Sive ergo praesentem disciplinam tenemus Canonico universali jure sancitam, totque Saeculorum usu firmatam; sive pristinae, et jam ab Apostolicis temporibus ductae disciplinae vestigia relegere volumus, nusquam reperiemus in singularum Ecclesiarum Episcopis agnitam facultatem jure suo adversûs universales Ecclesiae leges, Canonum Statuta, et Pontificum Decreta dispensandi, nisi prout vel ipso jure, vel inductâ legitimâ consuetudine id ipsis concessum fuerit; aut extraordinaria quaedam necessitas ad grave, idemque praesens periculum avertendum impulerit: atque hoc ipsum juxta regulas superioribus decretis constitutas.

Quod si rectam ipsam rationem consulimus, quid tam perspicuum, quam nullum jus inferiori esse legis relaxandae, quae a Superiore lata sit, nisi prout Superior eam facultatem indulserit? *Quod* nempe, ut ferunt etiam Institutiones Theologicae recens Lugduni editae *tom.6.p.*102., *Dispensatio sit actus jurisdictionis: nullam vero habeat inferior in leges a Superiore conditas*. Recte omnino; Nam ut sapienter *Augustinus de ver.Relig.c.*31. „ Leges
„ quum fuerint institutae, et firmatae, non licebit Judici de ipsis
„ judicare, sed secundum ipsas. „ Sapienter etiam animadvertit fidelissimus Augustini Discipulus *Angelicus Praeceptor* 1.2.*q.*97.

 *art.*4.

*art.*4., contingere aliquando, ut praeceptum, quod est in commodum multitudinis ut plurimum, non sit conveniens huic personae, vel loco, quia vel aliquid melius impediretur, vel etiam malum aliquod importaretur: Periculosum autem foret, si hoc cujuslibet judicio committatur, nisi forte propter subitum, et evidens periculum. „ Ideo, *inquit*, ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humanâ, „ quae suae auctoritati innititur. „ Et ibid. ad 3. „ In lege humanâ publicâ non potest dispensare nisi ille, a quo Lex auctoritatem habet; vel is, cui ipse commiserit. „

Ex his apparet, parum considerate dictum esse *a Zegero Van-Espen Dissert. de Dispens. c.*1. §.7., quem hîc sequitur Febronius, ex eo, quod Episcopi praecipuas in Ecclesiae Regimine partes sustineant, singulisque ex Cypriano sua portio Gregis adscita sit, consequens esse, quod sepositâ omni positivâ reservatione Episcopali auctoritati cohaereat plenaria Canonum relaxandorum potestas, quoties necessitas, aut utilitas Gregis sibi crediti relaxationem poposcerit. (*a*) Sane Van-Espen inficias non iverit, quin

(*a*) Zegeri dicto refragatur illustre documentum ex Augustino petitum. Hunc sibi non Successorem modo, verum et Collegam in Episcopatu dari vehementer exoptabat bonus Valerius Hipponensis Episcopus; idque ut fieret, Primatis sui Aurelii Carthaginensis Episcopi rescripto impetraverat. Haec nihilominus ordinatio, quantumvis pro eximiâ Augustini pietate, ac doctrinâ plurimum profutura crederetur, quia tamen facta contra Nicaenae Synodi praescriptum, reprehensione non caruit. Fatetur Augustinus, immo testatur, tum temporis nondum nec sibi, nec Valerio notum fuisse Nicaenum Decretum: quo demum cognito et ipsum facti poenituit, et ne deinceps accideret, diligentissime providit. Verba haec sunt Augustini Epist.213. al. 110 n.4. „ Adhuc in corpore posito beatae memoriae Patre, „ et Episcopo meo Sene Valerio Episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo: „ Quod Nicaeno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo „ reprehensum est in me, nolo reprehendi in Filio meo. „ Profecto si aetas illa tulisset, cuivis Episcopo, ac praesertim Provinciae Primati fas esse contra Generalis Concilii praescriptum propter utilitatem Ecclesiae veniam indulgere, nullus reprehensioni locus fuisset in eâ Ordinatione, de quâ dubitari non poterat, quin spectatâ Ecclesiae conditione, et ordinandi dignitate plurimum utilitatis esset allatura, quamque in propriâ Ecclesiâ Valerius fieri curaverat, suoque suffragio Carthaginensis Primas comprobaverat.

quin per Canones Episcopis, eorumque Gregibus leges imponi potuerint, ac saepius impositae fuerint, quibus et Antistites, et Subditi ex aequo tenerentur. Haec autem vis legis est, ut subjectos adstringat etiam nolentes; ipsosque adeo facultate omni privet, ac libertate quidquam contra moliendi. Legi proprie dictae, quam Superior sanxerit, respondet in subjectis obligatio proprie dicta parendi. Repugnat autem, ut quis et obligatus sit, et solvere se obligatione valeat. Proinde Lex omnis a legitimo Superiore condita, sicut omnem in inferioribus transgrediendi, aut exsolvendi sese libertatem excludit, sic omnem naturâ suâ dispensandi facultatem adimit, quam proinde inferior proprio jure arrogare sibi nequit, nec eâ pollere, nisi a Superiore concedatur.

Quâ in re mirum est, Zegerum ad suum dictum confirmandum ea exempla, seu argumenta proferre, quae ad id evertendum valere potius videntur. „ Quis, *inquit*, vel parum in Hi„ storiâ, Actisque Patrum versatus ignorat, Episcopos in Biga„ miâ, defectu natalium, aliisque irregularitatibus dispensasse? „ Quin et translationes, et cessiones Episcoporum (quae omni „ aetate inter gravissima Ecclesiasticae disciplinae puncta repo„ sita fuerunt) plurimis Saeculis Synodali auctoritate factas non „ tantum exempla, sed et Canones loquuntur. Episcopus, ait „ magna *Synodus Carthaginiensis Can.37. caus.7., q.1.*, de loco „ ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat.... Sane „ si utilitas Ecclesiae poposcerit, Decreto pro eo Clerico„ rum, et Populi Episcopis porrecto in praesentiâ Synodi „ transferatur. „

Primùm quis non intelligat, ea, quae Synodali auctoritate fiant, non fieri auctoritate, quae Episcopis ut singulis competat? Decretum Carthaginiense memoratum a Zegero nullam prae se fert expressam reservationem: num propterea, si duobus Episcopis e re visum esset de Sedium suarum commutatione inter se pacisci, id eis facere proprio jure licuisset? Num cuivis Episcopo Clericum sibi non subditum promovere, tametsi Ecclesiae suae utilem illum fore judicaret? Num alia ejus generis permulta, quae nullâ expressâ reservatione interdicuntur?

Concedatur etiam, nonnullas olim dispensationes ab Episcopis factas esse, a quibus nunc eis est praesenti disciplinâ interdi-

 ctum,

etum. At quo pacto evincet Zegerus, illâ eos facultate proprio jure usos esse potius, quam auctoritate a Conciliis, vel Pontificibus in ipsos collatâ?

Deinde, quod valde notandum est, ipsamet, quae in Synodis vigebat auctoritas, ex ipsâ Pontificis auctoritate vim suam mutuabatur. Audiatur *Natalis Alexander Dissert.* 4. *in Sec. I.* §. 2. *n. XI.* „ Idem probatur ex eo, quod Concilia Orientis irrita „ haberentur, nisi Romani Episcopi auctoritate firmarentur, „ quod Concilii Antiocheni ab Arianis habiti occasione Socrates, „ et Sozomenus notarunt „. Socrates porro, et Sozomenus de Conciliorum Decretis, et actis generatim pronuntiant, ea irrita esse, quae praeter sententiam Romani Pontificis statuuntur, aut geruntur. Luculenta sunt eorum testimonia, *Socratis quidem l.*2. *c.*8. *et* 17., ubi eamdem in rem profert Julii Pontificis auctoritatem longe graviorem: *Sozomeni l.* 3. *c.* 10. (*a*).

Addit *Natalis n.* 12. „ Idem probatur ex iis, quae gessit „ Julius Romanus Pontifex in causâ S. Athanasii .... Hîc tantum „ advertere sufficiat, subjectionem illam Orientalium Ecclesia- „ rum Romanae, et in judiciis ferendis dependentiam S. Atha- „ nasii tempore longo jam usu fuisse firmatam, ut colligitur *ex* „ *Epist. Julii*, quam refert *Sanctus Athanasius Apol.* 2. „. Ex his, aliisve, quae et ibidem ab Alexandro, et a nobis etiam alio loco collecta sunt, conficitur, quâcumque potestate usi fuerint Episcopi in Disciplinâ aut sanciendâ, aut relaxandâ, in condendis statutis, in judiciis ferendis, aut retractandis, eam semper illius auctoritati obnoxiam fuisse, *cui Dominicâ voce totius Ecclesiae cura commissa est*, ut ait *Gregorius Magnus l.* 4. *Epist.*32., et qui, ut habet *S. Coelestinus Epist.* 4., *in Speculis est a Deo consti-*

(*a*) Consulendae in ea loca docti Editoris Henrici Valesii notae. Quamquam vero dictum Socratis, et Sozomeni de regulis intelligi placeat, quae ad universalem Ecclesiam spectant, constat adhuc eadem vis sententiae, in idque recidit, quod sapienter docet Benedictus XIV., Episcopis, et Episcopalibus Synodis fas quidem esse leges condere praeter jus commune, quas utiles, et opportunas censuerint; Verum contra jus commune nil posse; nil, inquam, quo laedatur disciplina universalis Ecclesiae legibus, Pontificiâque auctoritate constituta, quae profecto labefactatur, si Episcopo cuique, vel Synodo liceret hujusmodi leges propriâ auctoritate relaxare.

stitutus, ut quae coërcenda sunt, resecet; quae observanda sunt, sanciat.

Repetere itaque juverit, quod superius innuit Febronius, Episcopos primitûs indefinitae cujusdam potestatis ubivis exercendae facultatem habuisse, a veritate perinde, atque ab Hierarchiae Ecclesiasticae Constitutione plurimum abhorrere. Neque illis, qui perperam ita sentiunt, favet, quod dictum est, Episcopos a Spiritu Sancto positos esse regere Ecclesiam Dei. Pronum quippe est animadvertere, non idem eo loco singulis Episcopis tribui, quod generatim Episcopali Ordini tribuitur. Equidem positi sunt Episcopi regere Ecclesiam Dei, non ut singuli toti Ecclesiae regendae incumberent; omniaque munia, quae ad Ecclesiae Regimen pertinent, singuli obireut, quod sine perturbatissimâ confusione fieri non posset; sed ut singuli eam portionem regerent, quae sibi cuique obtigisset; idque non privato cujusque judicio, et arbitrio, quod nunquam licuit, sed ex legibus, quibus Ecclesiastica disciplina continetur, atque ex ejus Supremi Capitis auctoritate, quam ad continendos in ordine, et officio Episcopos, atque ad unitatis vinculum constringendum prorsus necessariàm Barthelius agnovit. Aliud profecto est, quod Episcopi in suscipiendâ Ordinatione capaces fiant cujusvis functionis infra Primatum in Ecclesiâ obeundae; alind quod omnis muneris ubivis, et quomodolibet gerendi facultas ipsis tradatur. Non ex solâ Ordinatione legitimam Episcopalis auctoritatis exercendae facultatem nanciscuntur Episcopi; secus vel ipsi Schismatici legitime illâ uterentur; sed ex missione, quam a legitimis Pastoribus per continuatam ab Apostolis successionem accipere debent, quâ missione suus cuique Gregi Pastor addicitur, cujus curam, non utcumque libuerit, sed ex praescriptis legibus gerere debeat.

Demum *p. 163.* „ *Ad noscendàm*, inquit Febronius, *moder-* „ *nam hujus juris disciplinam addimus sequentia ex Zegeri Van-* „ *Espen Jur. Eccl. univ. p. 2. sect. 1. Tit.* 14. §. 13. Quibus vero „ dispensandi auctoritas super impedimentis Matrimonii compe- „ tat, nec in Canonibus, immo nec in Decretalibus Grego- „ rii IX. determinatur; neque legitur aliquo Decreto generali „ auctoritas haec Episcopis ademta, et Pontifici reservata; *at* „ *consuetudine tandem invaluit, et moderna habet disciplina*,

„ ut

„ ut, si agatur de impedimentis dirimentibus, et de Matrimonio „ cum tali impedimento contrahendo, soli Pontifici dispensatio „ competat, nisi Episcopi ostendant, speciali consuetudine, aut „ privilegio dispensandi auctoritatem sibi competere „.

Sed primùm quisquis Zegerum cum Zegero contulerit facile intelliget, minus considerate dicta esse, quae hoc loco ex eo depromta sunt a Febronio. Ait, nullum extare vetus Decretum, Canonem nullum, quo dispensandi facultas, etiam ubi agitur de Matrimonio cum impedimento dirimente contrahendo, Episcopis ademta reperiatur. Haud sane mirum. Qui enim adimi poterat facultas, quae nullibi adhuc sese ostentaverat? Equidem vulgaris est error, qui jam velut proverbio increbuit, hâc olim facultate passim Episcopos pleno jure potitos esse. At vulgarem hunc errorem depellit *Zegerus ipse hâc p. 2. tit. 14. c. 1. n. 5.*, ubi Christiano Lupo duce observat, praevias ad Matrimonium dispensationes nullas totâ antiquitate reperiri, primumque illarum exemplum non altius repetit, quam ab Innocentio III., qui Othoni IV. Imperatori veniam fecit, ut cum Philippi Filia quarto Consanguinitatis gradu sibi conjunctâ justas Nuptias contraheret. Falsum proinde, quod vulgo quidem, sed imperite jactatur, Episcopos prisco more, ac jure in hujusmodi impedimentis ultro dispensasse.

Quid? Si nec id sibi fas esse, suspicari ullo modo poterant? Atqui hoc ipsum concedat Zegerus, oportet, siquidem vult secum ipse constare. In caussam nimirum inquirit *num.* 4., cur dispensationes istae antea inauditae sequiori demum aetate a Summis Pontificibus coeptae sint primùm quidem parcius, dein largius effundi. Hanc porro affert, nempe „ postquam saeculis „ posterioribus invaluit quorumdam Jurisperitorum opinio, Ro- „ manum Pontificem Canonibus, aut Decretis Ecclesiasticis „ etiam Conciliorum Generalium non ligari, nec constringi pos- „ se; hâcque tandem opinione a Romanis Pontificibus probatâ, „ et receptâ, mirum quantâ facilitate caeptum sit a praescripto „ Canonum recedi, et contra eos dispensationes a Romanis Pon- „ tificibus impetrari! „ Ergo si Zegerum audimus, Pontificiis istis dispensationibus initium, caussamque praebuit increbrescens illa Jurisperitorum quorumdam opinio, Romanum Pontificem Canonum Decretis constringi non posse. Jam vero nusquam invaluit

luit opinio, quae talem a Canonum Decretis immunitatem Episcopis indulgeret. Nullo igitur tempore potuit in Episcopis facultas agnosci, quae hâc immunitate, seu immunitatis opinione niteretur. Caeterum quod Romanus Pontifex in Conciliorum etiam Generalium statutis jure suo dispensare valeat, quum a nemine Catholico, fatente Bossuetio, in dubium vocatur, tum ipsâ evincitur Zegero minime suspectâ auctoritate Synodi Basileensis, quae hujus Epikejae facultatem Primatui Divinitûs constituto sic haerere agnovit, ut a Romano Pontifice auferri nequeat, ut paullo superius animadvertimus.

Minime vero hîc praetereundum longe antiquius, ac plane insigne Pontificiae auctoritatis quoad Matrimoniales dispensationes monumentum. Extat id in registro Epistolarum *D. Gregorii Magni l.* 11. *Epist.* 64. *ad Augustinum Anglorum Episcopum*, *et lib.* 14. *Epist.* 17. *ad Felicem Messanensem Episcopum*, in quâ haec scribit Sanctus Pontifex: „ Incestuosos vero nullo Conjugii „ nomine deputandos a Sanctis Patribus dudum statutum esse, „ legimus. Ideo nolumus Nos in hâc re a Vobis, sive a caeteris „ Fidelibus reprehendi, quia quod in his Anglorum Genti indul- „ simus, non formam dando, sed considerando, ne Christiani- „ tatis bonum, quod coeperant, imperfectum dimitterent, egi- „ mus „. Scilicet indulserat Pontifex, ut Angli recens ad Fidem conversi, qui Matrimonium cum impedimento ex Consanguinitatis gradu paullo jam remotiore contraxerant, in conjugio permanerent.

Hoc porro testimonio perspicue intelligitur, 1. Consanguinitatis impedimentum, ut dirimens Ecclesiasticâ fuisse lege constitutum: *a sanctis Patribus dudum statutum esse legimus*; 2. adeo parum Episcopos de dispensationibus hujusmodi tribuendis cogitasse, ut potius admirationi fuerit, quod eam Anglis Pontifex concessisset: *Nolumus Nos in hâc re a Vobis, sive a caeteris Fidelibus reprehendi*. 3. Hanc veniam vel ex remotissimâ Gente ab uno Pontifice implorandam fuisse. 4. Sic a Pontifice indultam, ut de caetero vellet, antiqui statuti formam integram, inviolatamque retineri.

Eâdem indulgentiâ etiam quoad contrahenda Matrimonia usus est deinceps Gregorius II. erga Germanos. Rogatus ille fuerat a S. Bonifacio, quousque porrigeretur impedimentum ex Consan-

sanguinitate proveniens. Respondet Pontifex (*Epist.* 13. *ad Bonifacium Episcopum apud Labb.*), oportuisse quidem eos, quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad Conjugii non accedere societatem: Verum spectatâ temporum conditione placere sibi temperantiâ magis uti; adeoque concedere, ut post quartam Generationem jungantur. Hâc porro suâ rogatione satis ostendebat Bonifacius, nec sibi, nec aliis Episcopis licuisse hujusmodi veniam indulgere.

Quum ergo tot Saeculis ne levis quidem suspicio adhuc suborta esset, Episcopalis juris esse praevias Matrimonio ineundo dispensationes impertiri, aut generatim impedimenta generali Ecclesiae lege constituta (nisi prout ipsis concessum esset) relaxare, haud mirum, de hâc constringendâ potestate nunquam etiam Saeculis illis cogitatum fuisse, ut hoc ipso, quod non ablata legatur, splendidius argumentum eluceat, nusquam id juris ab Ecclesiâ in Episcopis agnitum esse, nec unquam adeo in illis extitisse.

Ad extremum fatetur saltem Zegerus, consuetudine invaluisse, ac modernam disciplinam habere, ut in impedimentis dirimentibus dispensatio soli Pontifici competat, nisi qui Episcopi hanc vel consuetudine, vel privilegio sibi competere ostendant. Porro recens disciplina universali Ecclesiae usu recepta non minorem vim habet in praesentiâ, quam olim vetus habuerit, dum vigeret. Nam, quae potestas condendæ disciplinae de principio in Ecclesiâ fuit, ea desinere nunquam potuit. Quum ergo per hodiernam disciplinam longo jam usu in Ecclesiâ firmatam dispensatio super impedimentis dirimentibus soli Pontifici competat, inutiliter agerent Episcopi, si qui nullâ *speciali* facultate instructi dispensare attentarent; ex quo consequens est, irritum prorsus fore Matrimonium cum impedimento dirimente attentatum, nisi venia Pontificis accesserit. Quâ de re videnda, quae habet *Benedictus XIV. de Syn. Dioec.*

Et quamquam probaretur, hâc aliquando facultate Episcopos praeditos fuisse, quod secus esse, paullo ante vidimus, non inde sequeretur, eam denuo ab ipsis vindicari posse. Nam quod superiori auctoritate ademtum est, nonnisi superiori auctoritate restitui potest. Sane, ut tradunt etiam Institutiones Theologicae Lugduni editae, dispensatio est actus jurisdictionis, quam nullam habet

habet inferior in legem Superioris. Notum est, in Regnis, quae uni Supremo Imperanti parent, nonnulla olim Optimatibus ex vigente tum temporis Constitutione licuisse, quae commutatis temporibus aliâ subeunte Constitutione licere desierunt. Quis porro istis Optimatibus concesserit, ut suâ auctoritate ad pristinam Constitutionem posteriore abjectâ, vel contemtâ referre se valeant? An probandum in Christianâ, quod seditiosum foret in Civili Republicâ? .....

POSITIO XXVI.

„ Primis jam tum Ecclesiae temporibus ii censebantur Spu„ rii, Adulterinique Episcopi, quorum Ordinationem Romanus „ Pontifex respuebat, veluti modo Ultrajectinorum „.

ANIMADVERS.

Agit initio de litteris pacificis, seu communicatoriis, deque iis praesertim, quas electi Romani Pontifices mittere solebant eo fine „, ut Oves Pastoris sui vocem audirent, et sequerentur: ut „ Ecclesiae unitas, cujus vinculum est Fides, ac Membrorum, „ Capitisque consensio, integra servaretur; nam litteris et Pastor „ Oves, quum darentur; et Oves Pastorem, quum reciperen„ tur, agnoscebant. „

Addit, communicatorias litteras, ipsamque communionis unitatem aliquando fuisse negatam intactâ fide ob laesum aliquod Caput merae disciplinae: Hunc porro casum esse, has circumstantias Episcoporum Provinciae Ultrajectinae in foederato Belgio.

Sed quum mox confirmet, Constitutionem *Unigenitus* Dogmaticum esse Sanctae Sedis, et universalis Ecclesiae Decretum, cui omnimoda ab omnibus debetur obedientia; quumque obedientia, quae Decreto Dogmatico debetur, non religiosum tantum silentium, sed et mentis, ac judicii obsequium cum vero, et interno assensu postulet (ipso fatente p. 98.) non patet, quemadmodum in contemtu Dogmatici Decreti merae disciplinae caput violatum existimari queat.

POSITIO XXVII.

„ Confirmatio, Translatio, et Depositio Episcoporum non „ potest Provincialibus Synodis restitui, nisi de libero Summi „ Pontificis consensu. „

ANIMADVERS.

DE varietatibus, quibus Disciplina obnoxia fuit, assentiri videtur *Petro De Marca*, cujus verba describit *ex l.3. c. 6. num.4.* depromta. Agnoscit porro Petrus De Marca, „ Summum Caput, „ in quo jus novum ab antiquo differt, in eo jam constitui, quod „ Suprema Potestas, quam in plerisque causis judicandis Synodi „ Provinciales obtinebant, penitûs extincta sit, et ad solum „ Summum Pontificem revocata. „

Quod plures causae olim Synodorum Provincialium auctoritate finirentur, minime id quidem inficiandum; nec tamen inde inferri potest, Supremam fuisse auctoritatem illam, quam aliunde constat superiori Primatûs auctoritate subjici debuisse. 1. Descriptio Provinciarum, jura Metropoleon, Ordo in Synodorum judiciis servandus, omnia haec Decretalibus nitebantur Siricii, Innocentii, Zosimi etc. Testatur *Petrus De Marca l.1.c.8. n.5.*, Innocentium Decretis suis Occidentis Ecclesias ornavisse, immo et ipsam Antiochenam Ecclesiam, quae Caput est Orientalis Dioeceseos constitutis suis disposuisse: Eumdem Alexandro Antiocheno jus Ordinationum restituisse: A Juvenali Hierosolymorum Episcopo dictum in Concilio Ephesino, morem invaluisse, ut Sedes Antiochena ex Apostolicâ consuetudine a Romano Episcopo disponeretur, et judicium acciperet. 2. Quae Synodi praescriberent, ea se ad normam Apostolicorum Decretorum praescribere testatae sunt. Sic Aurelianensis III., Turonensis II., Tricassina &c. 3. Saepe Pontifices ab initio per se ipsi jure suo praestiterunt, quae alioquin assentiente Pontifice in Synodis tractabantur, et quae deinceps ipsi Pontifices judicio suo reservanda duxerunt. Patet id luculenter *ex Epist. S. Cypriani ad S. Stephanum Papam*, quâ eum rogat, ut abstento Marciano alium jubeat, in ejus lo-

locum substitui. Notat hîc etiam De Marca (*l.* 7. *c.* 1.) nullâ industriâ Novatores hoc Cypriani testimonium elevare posse. „ Futilis est enim, *inquit*, et Cypriani verbis adversa responsio „ illa, non deponi a Stephano Marcianum, sed ad Plebem Arelate consistentem scribi, aequum sibi videri, ut deponatur. „ 4. Hincmarus ipse Rhemensis praedicare saepe non dubitat, Metropolitica jura ab Apostolicae Sedis auctoritate derivare, privilegiumque Metropolitanae Sedis Rhemorum in summo privilegio Sanctae Sedis Romanae manere. Quae quidem breviter hîc attingimus, quod alio scripto copiosius sunt a nobis pertractata.

Fatetur tamen De Marca, in novo jure (prout jam est constitutum) prorsus esse insistendum, ut si quis de antiqui juris restitutione contendat, „ perinde agat, ac si Imperiorum inveteratorum administrationem ad eam formam revocare velit, quae „ in ipsis Regnorum initiis obtinebat. „

Praeterea videtur assentiri Febronius sententiae Giruti ajentis, posito etiam, plura esse hodiernae disciplinae capita, quae originem suam debeant suppositis Isidori Mercatoris Decretalibus, non propterea movenda esse, quae in exercitio Ecclesiasticae jurisdictionis secundum eas Decretales constituta fuerunt, et quae a multis jam Saeculis servantur adeo, ut in ipsis legitimae praescriptionis conditiones deprehendantur.

Verum, quod attinet ad Isidorianam Collectionem, minime praetermittenda sunt, quae de illâ docte more suo disserit *Petrus Ballerinius Vindiciar. c.* 5. Ostendit, toto Coelo errasse, qui putarunt, Pseudo-Isidorum amplificandae Romanorum Pontificum auctoritatis studio ad falsas Decretales procudendas excitatum fuisse; quin potius in id spectasse, ut accusationibus, quae adversûs Episcopos intentabantur, modus adhiberetur: Deinde illorum inscitiam coarguit, qui de Pseudo-Isidoro conqueruntur perinde, ac si ejus imposturis disciplina vetus abolita, et nova introducta sit, quum potius haec duo animadvertenda fuerint; 1. pleraque Pseudo-epistolarum Isidori excerpta esse ex sententiis Sanctorum Patrum, ex sinceris Constitutionibus Romanorum Pontificum post Siricium, ex Canonibus Conciliorum, ac ex Romanis legibus. 2. Caetera eam disciplinam plerumque exhibere, quae jam diu inoleverat, vel jam ante aliquanto induci caepe-

P 2 rat.

rat: (1) Imposturam demum in eo sitam esse, quod Pseudo-Isidorus eas sententias iis auctoribus imposuerit, quorum non sunt, et posterioris aevi disciplinam antiquioribus Pontificibus affixerit, quasi prioribus Ecclesiae Saeculis haec viguisset. Hactenus Ballerinius, cujus opus omnino videndum.

Adhuc etiam ad novi juris firmitatem constabiliendam haec affert *Febronius p.* 174. „ Sed nec illud praetermittendum, quod „ legibus etiam Regnorum Corpus juris Canonici Romani, quo „ noviora haec jura asseruntur, Civitate donatum, et in jus „ commune receptum sit. „ Id certis monumentis probat de Germaniâ, et etiam de Galliâ. Tum concludit: „ Porro quod „ tanto consensu in Ecclesiâ universim receptum, tot Saeculo- „ rum non interrupto usu, subinde etiam *Concordatis* firmatum „ est, atque adeo in jus commune transiit, et hodiedum lex „ est, non poterit mutari, nisi de consensu eorum, penes quos „ legum *in*, et pro *universâ* Ecclesiâ ferendarum jus est, inter „ quos post Concilium Oecumenicum est Romanus Pontifex. „

Hujus proinde immutandae disciplinae nulla, Auctore Febronio, penes Laicum Magistratum auctoritas residere potest. Quippe nulla est Laica potestas, cui jus sit legum *in*, et *pro* universâ *Ecclesiâ* ferendarum. Hanc potestatem non in alio sitam expresse hoc loco agnoscit, praeterquam in Concilio Oecumenico, et post ipsum in Romano Pontifice. Verum quum et in Concilio Oecumenico nemo Catholicus dissentiat, primas, ac praecipuas partes esse Romani Pontificis, semper illud constat, sine ipsius assensu nullam mutationem induci posse in id jus *commune*, seu generalem disciplinam, quae illius potissimum auctoritate constituta fuit.

Opportunius proinde Febronius doctrinâ uti poterat, quam in responsione ad *Notas* praemissâ operi suo *de disciplinâ Thomassinus* exponit, nimirum quum dicitur, Concilia Provincialia potestatem aliquam exercuisse, quam deinceps solus Romanus Pontifex exercere coepit, non propterea significari, eam potestatem a Conciliis Provincialibus in Romanum Pontificem translatam esse, eique velut jus novum accrevisse, quo antea careret

(1) Id sane quoad aliqua saltem disciplinae capita ipsemet Febronius agnoscit, ut superius notatum est.

reret, sed „ quam semper alicubi exercuerat, eam supersedentibus Conciliis Provincialibus coepit ubique terrarum solus „ exercere. „

Quod ergo speciatim memorat Febronius de Confirmatione, Translatione, Depositione Episcoporum, eas veluti jure quodam devolutionis in Pontificem translatas esse, non ita est intelligendum, quasi novum jus Pontifici obvenerit, idque ab Episcopis *non invitis* acceperit; Nam praeter illa, quae superius jam dicta sunt, rectius *Thomassinus* de hoc Devolutionis jure ibidem disserit: „ Ubi jus ab inferiori ad superiorem devolvitur, ... „ non accipit ab inferiori, non usurpat in inferiorem Superior. „ . . . . . Non repetere potest a Superiori inferior . . . . . . - Solemne enim est, jura omnia ad Superiores ab inferioribus devolvi, et omnium prorsus potestatum Spiritualium jura ad Summum „ Pontificem devolvi posse, quia Summus omnium Vertex est..... „ Si autem haec jura a Conciliis Provincialibus ad Summum Pontificem devolvuntur, quia Summus omnium Vertex est, perperam ergo inde infertur, quod ea ex sese non habeat; quod „ ea usurpet; quod contrario usu possit amittere. „ Antea dixerat, „ Nihil Devolutioni contrarium; devolutione semel partum jus perpetuum est.

POSITIO XXVIII.

„ Canonizationes Beatorum etiam olim fiebant de consensu „ saltem tacito Romanorum Pontificum. „

ANIMADVERS.

AGnoscit *Febronius p.* 178: maximam circumspectionem eflagitare *Negotii hujus pondus, quod proximum est Fidei*; meritoque proinde Alexandrum III. prohibuisse, quempiam *pro Sancto venerari, etsi per eum miracula fierent, sine auctoritate Ecclesiae Romanae c.* 1. *de Reliq. et Ven. Sanct.*

Aliunde *p.* 179. huic negotio, quod proximum esse Fidei testatus est, non dubitat multae suspicionis nebulam offundere. Nam expositis omnibus, quae ad Sanctitatem Viri comprobandam pertinent, ait: „ At haec ipsa omnia Testibus, Instrumentis, „ aliis-

„ aliisque humanis argumentis, quae fallere possunt, nituntur;
„ itaque Processu quantumvis accurate instituto errandi periculum
„ penitûs abesse, dici nequit.

Pergit: „ His consideratis non possum non probare, quod
„ scripsit *Muratorius de Ingen. Moderat. in Relig. negot. c.* 17.,
scilicet: „ Non omnem veritatem a Divino Spiritu Nobis revelan-
„ dam, ex omnium interpretatione perspectum est; sed omnem
„ tantummodo veritatem, quae ad salutem hominum, et ad ve-
„ rae Fidei, atque Catholicae Ecclesiae integritatem, conserva-
„ tionemque necessaria sit. Quomodo vero dicemus, necessa-
„ rium hominibus, Fidei, et Ecclesiae esse cultum novi alicujus
„ Sancti, fidemque de illius Beatitudine caelesti? Utile est, non
„ necessarium ista habere, ista scire.„

At saltem praeterire non debuisset, quod subjungit *Murato-rius*, referturque a *Benedicto XIV. de Canoniz. l.* 1. *c.* 45. *n.* 28.
„ Quare a suspicione haeresis ille non absit, atque intolerandam,
„ et poenis dignam temeritatem, ac impudentiam praeseferat,
„ qui rite Coelitum Catalogo adscriptos explodat, ac in iis, ut
„ ajunt, canonizandis Ecclesiam reipsâ, et Romanum Pontifi-
„ cem errasse dicat, suspicionem haeresis memoravi, non au-
„ tem haeresim formalem.„ Sane queri non poterit Febronius,
suspicionem haeresis memorari in *negotio*, quod ille *proximum fidei* dixerit.

Equidem an de fide sit, Ecclesiam in suo de Sanctitate hominis judicio errare non posse, quaestionem esse nondum ab Ecclesiâ definitam, non diffitetur *Benedictus XIV. l.* 1. *c.*45.*n.*27.: Nemo tamen Catholicus, nemo pius dubitat de illo peculiari afflatu Spiritûs Sancti sic Ecclesiam regentis, ut in decernendis, quae ad pietatem quomodocumque pertinent, eam errare non sinat. Scite *Melchior Canus de Loc. Theol. l.* 5. *c.* 5. „ Item multum re-
„ fert ad communes Ecclesiae mores scire, quos debeas religione
„ colere: Quare, si in illis erraret Ecclesia, in moribus quoque
„ graviter falleretur . . . . . Ne igitur tantus error in Ecclesiâ
„ sit, Deus peculiariter providere credendus est, ne Ecclesia,
„ quamlibet hominum testimonia sequatur, in Sanctorum Cano-
„ nizatione erret.„ Atque, ut probe idem animadvertit, si Ecclesiae judicium de hominis Sanctitate foret errori obnoxium,
„ non esset valde absurdum Divorum omnium cultum ab Ecclesiâ
„ explodere, qui post Clementem consecrati sunt.„ Et

Et quandoquidem hîc agitur cum hominibus, qui antiquitatis amantes imprimis videri volunt, non parum momenti apud ipsos habere debet, quod ex omni Saeculorum memoriâ nusquam auditum fuit, inter Christianos ullam dubitationem subortam esse de Servorum Dei Sanctitate, qui sunt in Canonem relati, aut aliis sive Martyribus, sive Confessoribus, quos Ecclesia publico cultu veneraretur. Extant Homiliae Patrum singularum consequentium aetatum de Sanctis, quos superiores aetates extulerant, quique tunc temporis velut *novi Sancti* haberi poterant; nec tamen hâc novitate Sanctissimi Patres illi deterrebantur, quin eos novos Sanctos pio, religiosoque cultu sine ullâ dubitatione prosequendos censerent. Adeo certum, fixumque habebant Ecclesiae de illorum Sanctitate judicium.

Et merito quidem. Si enim Sanctitatis Spiritus nunquam est in Ecclesiâ desiturus, profecto non est dubitandum, quin, ut semper fuere, sic semper futuri sint, qui donis Spiritûs Sancti abundantius cumulati Divinae Promissionis immutabilem constantiam, illamque nunquam in Ecclesiâ interituram Sanctitatis notam singulari admirabilitate vitae testentur, ac velut aspectabilem faciant. *Sanctitas Religionis omnium maxime ex Sanctitate Pastorum colligitur*, ut docet Scriptor *Hist. Treviren. in Prodromo p.* 126. Quis ergo neget, ad Religionis, Ecclesiaeque bonum pertinere, ac omnino *Fidei proximum* esse, ut certâ notâ discerni valeant, quos ad patefaciendam Sanctitatis conservationem in Ecclesiâ, et ob alias caussas, quae copiose a Benedicto XIV. explicantur, ad insignem Sanctitatis laudem Deus provexit?

POSITIO XXIX.

„ Legitimo usu in quibusvis causis Ecclesiasticis invaluerunt
„ Appellationes ad Apostolicam Sedem. „

ANIMADVERS.

Fatetur Febronius, *Natalem Alexandrum* inter Gallos *Dissert.* 28. *in Saec. IV.*, *Gregorium Zallwein* inter Germanos *Princip. Jur. Eccl. tom.* 2. *p.* 201., aliosque utriusque Nationis eruditos Viros sustinere, jus recipiendarum appellationum Primatui

tui connatum esse; at alios non minus celebres refragari existimantes, hoc Romanae Sedis privilegium adjectitium esse. Qui sint celebres isti Refragantes, non eloquitur, quippe neminem nominatim appellat. Sed quicumque tandem fuerint, aut sint, magno eos in errore versatos esse, aut versari convincit (ut alios praeteream non minoris momenti eamdem in rem editos libros) laudata Natalis Alexandri Dissertatio, quâ tantâ omnis generis argumentorum copiâ, et perspicuitate jus illud Primatui cohaerens demonstratur; sicque Basnagii Cavillationes revincuntur, ut veritas liquido appareat, nec jam apud aequos aestimatores ambigendi locus superesse ullus valeat.

Quod autem ambo illi viri graves jus illud Primatui connatum velint, cavet Febronius, ne quis putet, ex eorum sententiâ id ita esse intelligendum, „ Quasi jus illud appellandi nullam ad„ mittat restrictionem, seu limitationem, quin per Canones, „ concordata, contrariam consuetudinem ex legitimâ caussâ in „ bonum Ecclesiarum alterari, ac intra certos limites coarctari „ possit. „

Rationem porro ipse suppeditat. „ Quidquid enim, *inquit*, „ juris Christus Pontifici concessit, id omne in aedificationem, „ non in destructionem, in bonum Ecclesiae concessum esse exi„ stimandum est. „

Egregie sane. Omnis quaecumque potestas in aedificationem concessa est, non in destructionem; idque non in Ecclesiastico tantum, sed et in Civili Regimine. Num ex eo fit consequens, ut superior potestas per inferiorem coërceri valeat? In Ditione, quae unius Supremi Principis Dominationi subsit, suprema Imperantis Potestas tota quoque spectat, refertarque vi suâ in Bonum Rei publicae: *Minister est enim Dei in bonum*, ut ait Apostolus. Num propterea liberum erit inferioribus superiorem eam potestatem, quibus sibi placuerit, aut aequum existimaverint, limitibus, ac terminis circumscribere? Quod si Febronius aegre nunc ferret, his velut arietibus imperi Principatum Civilem, tametsi olim dixisse feratur, eum ab arbitrio Populorum pendere, multisque adeo modis mutari, luxari, adstringi posse, multo minus idipsum locum habere poterit in Ecclesiasticâ Hierarchiâ, de quâ, si audiet *Natalem Alexandrum* hâc ipsâ *Dissert. Sch.* I., intelliget, ipsum semper professum esse, ac propugnavisse Prima-

matum, et quae ex Primatu consequuntur privilegia (inter quae praecipue hoc loco agit de jure appellationum) „ Christi ore in „ Beato Petro firmata, in Ecclesiâ ipsâ disposita, antiquitus ob- „ servata, a Sanctis, et universalibus Synodis celebrata, atque „ a cunctâ Ecclesiâ jugiter venerata nullatenus posse minui, „ nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam funda- „ mentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere co- „ natus, ut scribit *Nicolaus I. Epist.* 8. „

At, inquiet, nonne tamen extant Canones, quibus certus appellationum modus praescribitur? Extant illi quidem, sed nil inde adversûs Pontificis auctoritatem. Primô enim Canones isti, ut vel de ipsis Orientalibus Conciliis notavit supra *Natalis Alexander*, nisi assentiente Pontifice nullam vim habituri fuissent. Deinde omnis haec Canonum praescriptio spectat non ad coër-cendam Pontificis potestatem, sed ad constituendam judiciorum formam, quae comprimendae improborum audaciae aptissima videretur. Quod quidem maxime patet editis hâc de re *in Tridentinâ Synodo Decretis*, velut *c.*20. *de Ref. sess.*24., ubi praescripto consueto judiciorum ordine nominatim excipiuntur causae, quas Summus Romanus Pontifex avocare ad se judicaverit; tum solemni eâ testatione, quâ quaecumque in eo Sacro Concilio statuta sunt, *declarat, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicae et sit, et esse intelligatur*. Et quidem quum mens Ecclesiasticae disciplinae semper una, eademque constiterit, quae mens fuit Tridentinae Synodi in suis Decretis sanciendis, eadem sane fuit, nec alia Ecclesiae esse potuit in probatis Decretis antea conditis, siquidem unus, idemque Divinus Spiritus omnibus ex aequo praefuit.

Parum etiam omnino roboris habet, quod *p.*182. *Febronius* proponit his verbis: „ Primis Ecclesiae temporibus, quemadmodum universim appellationes aeque, ac caeterae ambages „ fere ignorabantur in Ecclesiae Tribunalibus; ita legalis qui- „ dem ad Supremam Primatis Sedem appellationis nullum tribus „ primis Ecclesiae Saeculis extare monumentum observant Eru- „ diti. „

Sed quaeri potest ex Febronio, quid legalis appellationis nomine Eruditi illi Viri significare velint. Si hanc solam legalem appellationem dicunt, quae omnes formas consequentibus tempo-

ribus jure positivo adjectas complectatur, ludere in verbo velle illi videntur. Notum est, succedentibus aetatibus novas identidem formas, et cautiones Principum Constitutionibus praescriptas esse, quibus praetermissis legitima, seu legalis censeri prohiberetur sive venditio, sive Donatio, sive Testamentum, aut alia quaevis inter homines contrahendi, agendive ratio. Num propterea minus legales, aut legitimi censendi actus omnes ejusmodi, qui formulis illis postmodum invectis caruerint? Si autem legitimus, ac legalis censeri meritò debet actus, cui nil desit eorum, quae ad substantiam pertinent, quae et naturale jus, et positae illo tempore leges requirunt, nemo negaverit, legitimas, et legales fuisse appellationes, quae primis Ecclesiae Saeculis interpositae fuerunt; quae, etsi carerent formis, quas ad praecavendas fraudes posterior disciplina invexit, omnia tamen complectebantur, quae ad aequitatis normam pro eorum temporum disciplinâ, et conditione requirebantur. Multas autem ejusmodi factas ad Sanctam Sedem primis illis temporibus appellationes evincunt exempla, quae et *Christianus Lupus*, *et Natalis Alexander*, et doctus Praesul *Johannes Dominicus Mansi* collegerunt. Dubitationem vero tollit omnem luculentum de moris illius vetustate *Leonis Magni* testimonium *Epist.89. ad Episcopos Galliae*, quod nemo sanae mentis recusaverit. Quis enim audeat falsi arguere Sanctissimi Pontificis eâ in re testimonium, cujus testimonii falsitas tum temporis in omnium oculos incurrisset? falsitatis autem convictio et auctoritatis pondus detraxisset, et infamiae labem inussisset.

„ Quin immo, subjungit Febronius, ex S. Cypriano satis „ intelligitur, Saeculo III. multum improbatos fuisse excursus „ ad Romanam Sedem pro obtinendâ ibidem justitiâ.„

Primùm non fuisse generatim improbatas a S. Cypriano appellationes ad Sanctam Sedem probat, immo ex Epistolis ipsis Sancti Antistitis colligit laudatâ Dissertatione *Natalis Alexander*, et ante ipsum *Ven. Bellarminus de Rom. Pontif. l.2. c.23.* ostendens, „ Cyprianum aegre tulisse appellationes eorum, qui de „ manifestissimis criminibus convicti, & judicati fuerant; non „ autem omnino appellationes sustulisse. „ Egregia vero sequens ejusdem Bellarmini Animadversio: Adde, *inquit*, quod si hoc „ decreto (scilicet Africano, quod objiciebatur a Cypriano)

prohi-

„ prohiberentur appellationes, non solum prohiberentur ad Ro-
„ manum Pontificem, sed etiam ad quemlibet alium Judicem,
„ ut *Magdeburgenses* fatentur *Centur*. 3. *c*. 7., et verba ipsa in-
„ dicant, quae generalia sunt: At absurdissima, et ridicula lex
„ esset, quae omnem appellationem prohiberet. „ Quo magis confirmatur, verba Cypriani ad causam, de quâ tum agebatur, aliasve similes manifestissimorum criminum causas referenda esse.

Reverâ, si eo tempore celebrata fuisset Synodus Generalis, existimabit ne Febronius, Sanctum Cyprianum concessurum non fuisse, ut ad eam ex Provinciali quâvis Synodo provocari posset? Quod tamen dicendum foret, nisi verba Cypriani aequâ interpretatione mollienda essent. Quid? Si ex ipso celebri facto Basilidis Asturicensis, et Martialis Emeritensis conficitur, Sanctum Cyprianum in Romano Pontifice jus recipiendarum appellationum palam agnovisse? Hi nimirum a suis Synodis ob gravissima crimina e gradu dejecti, quum ad Stephanum accessissent, causâque subdole expositâ restitui se, ab eo impetrassent, hanc quidem Cyprianus restitutionem improbavit; verum hâc unâ de caussâ, quod *Basilides post crimina sua detecta Romam pergens Stephanum longe positum, et gestae rei, ac veritatis ignarum fefellisset*. Quâ in re, pergit Cyprianus, *non tam culpandus ille, cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit*. Idemque de Martiali statuit, qui eâdem fraude usus fuerat. Profecto, nisi Cyprianus hanc in Stephano auctoritatem agnovisset, quâ Episcopos de Synodali judicio ad se appellantes recipere, eosque, si opus foret, adversûs Synodalem sententiam restituere valeret, non excusandum Stephanum censuisset, quod sibi obrepi passus esset, sed ob id maxime culpandum, quod indebitam sibi potestatem arrogasset, neque impetratae ab ipso restitutioni vitium dumtaxat obreptionis objecisset; sed hoc ipso nullam, et irritam ostendisset, quod nullâ legitimâ potestate contra legitimam Synodorum auctoritatem praeter jus, fasque fuisset indulta. Sane qui sententiam non alio, quam obreptionis nomine improbat, hoc ipso fatetur, eam ipsam, nisi id vitii irrepsisset, ratam se habiturum, atque adeo a legitimâ potestate profectam. Nec etiam Hispanienses illi Episcopi Synodali sententiâ perculsi Ponti-

ficis adeundi consilium cepissent, nisi haec insita fuisset Provinciarum illarum persuasio, jus, fasque esse a Synodali judicio ad Romanum Pontificem provocare; Ut minime mirum videri debeat, Hosium illum Cordubensem eâ persuasione imbutum Auctorem fuisse, ut honor iste Apostolicae Sedi debitus Sardicensis etiam Concilii Decreto muniretur.

Pag. 183. fatetur *Febronius*, post Synodum Sardicensem an. 347. celebratam minime infrequentes fuisse appellationes, multasque recenset ex Natali Alexandro depromtas: tum addit: „ Solidis his fundamentis innixae appellationes Romanae usu magis, magisque firmatae sunt Sacerdotio, et Imperio minime „ reluctantibus. Ad hoc probandum alio fere argumento opus non „ est, quam allegatione vix non continuorum utriusque potestatis laborum, ac studii in removendis earumdem abusibus salvâ „ semper substantiâ. „

De hisce, ut loquitur, abusibus, tentatisque remediis satis longum trahit ille sermonem, quem per partes persequi non vacat in praesens. Addit, renovatas eâ de re *in Synodo Tridentinâ* querimonias; Synodum porro hisce abusibus, quoad potuit, adnisam esse mederi quum variis Decretis, tum signanter *Sess.* 24. *c.* 20. *de Ref.*. Demum concludit: „ Ex his manifestum fit, Romanarum appellationum constantem in Ecclesiâ usum non viguisse solum, sed a Conciliis, Patribus, Episcopis, Regibus, „ Principibus, et Nationibus per Canones, Leges, et concordata probatum esse; Attamen et pium hunc usum ab eisdem pro „ re natâ ab abusibus haud raro purgatum fuisse, et adhuc purgari posse. „

Nil opus Oedipo, ut pateat, quo spectent postrema verba Febronii. Caeterum haud scio, quid labis *purgandae* supersit in Decretis Tridentinae Synodi de appellationibus. Si quam adhuc labem sibi quisquam videatur deprehendere, videat, ne potius inspicientis oculi vitio, quam inspecto decreto tribui, et affingi ea debeat. An forte sibi adeo blanditur Febronius, ut putet, boni quidquam a se cogitari posse, quod prudentiam effugerit sapientissimorum Patrum, quorum consilia in condendis Decretis Divino etiam Spiritu regebantur? Atque hi quidem in id sunt inducti, ut, si quid pro rerum, ac temporum variatione uberius explanandum, aut providendum foret, id totum decernerent ad Aposto-

licam

licam Sedem referendum. Quod autem id, quod est universali Ecclesiae disciplinâ Sedis Apostolicae auctoritate firmatâ constitutum, sine Sedis Apostolicae auctoritate mutari queat, satis ex superius dictis refellitur, omninoque a Catholicis auribus abhorret.

POSITIO XXX.

„ Summi Pontifices omni jure damnarunt appellationes a Pa„ pâ ad futurum Concilium. „

ANIMADVERS.

IN hujus Positionis explanatione non sine aliquâ tergiversatione progreditur Febronius. Primùm exponit Petri De Marca doctrinam ajentis, nunquam quidem in Ecclesiâ admissam fuisse provocationem a Papâ ad Concilium, licet aliquando remedio quodam extraordinario Sedis Apostolicae judicium in majori Synodo instauratum fuerit: Etenim, *inquit* „ vel privatae erant causae, vel „ publicae: Privatae in Synodorum Patriarchalium judicio finie„ bantur, ut nullus appellandi superesset locus, *l.* 29. *C. de* „ *Episcop. Audien.*, Item *Novella* 123. *c.* 22. Aliud dicendum „ de Causis Ecclesiae communibus, seu publicis. Illo sensu in„ telligendus est *Gelasius apud Gratianum Caus.* 9. *q.* 3. *c.* 16. „ *scribens ann.* 493. *ad Faustum Legatum*: *ipsi sunt Canones*, „ *qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus Sanctae Sedis exa*„ *men deferri voluerunt*, *ab ipsâ vero nunquam appellari debe*„ *re*, *dixerunt*.

Volunt itaque isti, ubi Gelasius Canones memorat ajentes, ab Apostolicâ Sede nunquam appellari debere, id de causis tantum privatis intelligendum esse. Verum commentitia plane est haec interpretatio. I. In hâc Epistolâ, seu commonitorio ad Faustum generalis est Gelasii sententia, nec ullum in eâ ejus distinctionis inter privatas, et publicas causas vestigium apparet. II. In eâ Epistolâ Gelasius Sedis suae praestantiam in omnibus judiciis Ecclesiasticis supra omnes alias Sedes omni Divino, Ecclesiasticoque jure firmatam demonstrat, atque pro hâc singulari praestantiâ uni Romanae Sedi competere, ut ad eam undique appelletur,

tur, ab ipsâ nusquam. Porro si hoc de causis tantum privatis intellexisset Gelasius, in quibus, ut isti dicunt, neque ab aliis Patriarchis appellari poterat, profecto aequo hâc in parte jure fuisset Romanus Pontifex cum caeteris Patriarchis; neque tamquam insigne aliquid, ac proprium Romanae Sedis decus afferri potuisset, quod ab eâ non appellaretur eis in causis, in quibus neque ab aliis appellabatur. III. Sententia Gelasii haec duo complectitur, et undique ad Sanctam Sedem appellari, et ab eâ nunquam. De iisdem igitur causis in utrâque parte sententiae agitur. Si ergo secunda pars, quae vetat a Sanctâ Sede appellari, de causis privatis intelligenda est, etiam de privatis intelligenda erit prima pars, quâ ex omni parte appellationes ad Romanam Sedem astruuntur. Fatendum ergo erit, etiam in causis privatis ad Sanctam Sedem appellari potuisse, quod tamen isti negare non verentur; adeo hâc suâ commentitiâ interpretatione non solum cum communi sensu, sed et secum ipsi confligere coguntur. IV. Argumentum ex Novellâ Justiniani ductum refutatur a *Natali Alexandro Dissert.* 28. *in IV. Saec.*, ubi ostendit, I. Justiniani Novellâ prohiberi appellationem a judicio Patriarcharum in Causis Episcoporum profanis, non Ecclesiasticis. II. Ipsummet Justinianum in Romano Pontifice agnovisse auctoritatem judicandi causas Orientalium Episcoporum, et ipsorum Patriarcharum, ut constat ex iis, quae ipso praesente, et probante gesta sunt ab Agapito Papâ contra Anthimum, qui Sedem Constantinopolitanam invaserat. Demum „ Ex Justiniani Constitutionibus colligi non posse, quaenam fuerit Ecclesiae disciplina, quia nulla fuit earum in Ecclesiâ auctoritas, nisi quatenus cum Sacris Canonibus consentiebant, ut constat *ex Epist. S. Agapiti* Pontificis ad eumdem. „

Quod attinet ad causas communes, primùm ait Febronius, „ Aliquando ad procurandam Ecclesiae tranquillitatem Imperatorum rescripto Apostolicae Sedis Judicia in majore Synodo instaurari contigisse, in quâ per Legatos Romanus Episcopus intererat. Etenim juxta mores antiquos res Ecclesiae communes sine Sententiâ Summi Pontificis constitui non poterant. Quae ratio, ait De Marca, differt ab appellatione, in quâ Judex prioris instantiae ab omni cognitione excluditur. „

Instaurationis hujusmodi exempla petit Febronius ex Concilio Ephesino, in quo, si eum audimus, Coelestini Epistola ad Nesto-

storium rursum expensa est: Ex Chalcedonensi, quod iterum discussit quaestionem de duabus in Christo naturis, quam Leo jam deciderat: Ex Concilio Generali VI., quod examinavit, et resolvit quaestionem de duabus in Christo voluntatibus ab Agathone antea definitam.

Si, quae facta est in illis Conciliis laudatarum Epistolarum discussio, eam Febronius non alio consilio institutam diceret, quam ad compescendam, si fieri posset, concordi Patrum consensu dissidentium pervicaciam, nil proferret a veritate, nec adeo a Supremae Sedis dignitate alienum. Fallitur vero, si putat, quaestiones de Christi Personâ contra Nestorium; de duabus naturis contra Eutychen; de duabus voluntatibus contra Monothelitas non fuisse per sententias Coelestini, Leonis, Agathonis firmo, et fixo judicio definitas. Haud fert praesentis instituti ratio argumenta describere omnia, quae in hanc rem doctissimi Viri protulerunt. Satis fuerit pauca delibasse, quae praesertim ex actis ad memorata Concilia pertinentibus petuntur.

Ante Concilium Ephesinum S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus, ut notat doctus vir *Petrus Ballerinius de Primatu c.13.§.11.*, etsi Nestorii errorem, ac pertinaciam exploratam haberet, noluit tamen se ab ejus communione separare, antequam Coelestini Romani Pontificis sententiam audiret, quam non solum sibi, sed et aliis Episcopis significari ab eodem postulat, ut omnes *uno animo in unâ sententiâ persistant*: Ita *S.Cyrillus Epist.8.apud Constant.* Hoc porro judicium Cyrillus expetebat, ut in eo sibi, aliisque omnino conquiescendum existimaret. Quum enim Epistolas a Coelestino acceptas ad Johannem Antiochenum dirigeret, hortatur eum, ut sententiae Pontificis in Occidentali Synodo prolatae acquiescat: *Nos enim*, inquit *apud Labb.Concil.Ephes.c.21.*, *sequimur*, *quae ab eo sunt judicata, formidantes, ne tantorum communione labefactemur*. (a) „ Ex quibus, *inquit Ballerinius*, mirifice confirmatur, quod

(a) Notanda verba Epistolae apud Labb.tom.3.Edit.Ven.Col.927. „ Porro autem lectis in Concilio (Romano) expositionibus illius (Nestorii), „ Epistolisque lectis, et iis praecipue, in quibus quod apertam ipsius subscriptionem prae se ferrent, nullus tergiversandi locus reliquus erat, „ Sancta Romana Synodus disertam statim in illum sententiam tulit. Horum „ proinde Decreto modis omnibus parendum est illis, qui a totius Occidentis

quod *cap.* 12. §. 2. fuse probavimus, communionis Romanae necessitatem ab Adversariis non posse adstrui, quin necessaria si-
„ mul statuatur unitas Fidei Romanae, sine quâ communio cum
„ Romanâ Sede haberi non potest, ut S. Cyrillus hoc loco palam
„ insinuat. „

In Concilio vero Ephesino maxime notanda Vir doctus praecipit verba ipsiusmet Synodi in sententiâ depositionis Nestorii, quam se Patres ferre profitentur coacti per Sacros Canones, et Epistolam Coelestini. Porro si, ut probe idem animadvertit,
„ Coelestini Litterae Synodum cogebant ad depositionem Nesto-
„ rii, cogebant etiam ad damnandum ejus errorem in fide, cujus
„ caussâ ipsius depositio praescripta fuerat. „

„ Quod si (*pergit ille*) post Coelestini litteras a Cyrillo
„ exequutioni mandatas ad Generalem Synodum causa delata est,
„ idque ipso assentiente Pontifice, qui suos Legatos ad eam Sy-
„ nodum direxit, nihil tamen liberum quoad Apostolica Decre-
„ ta idem Pontifex esse voluit; unde hos se direxisse ait, *ut iis*
„ *quae aguntur*, *intersint*; *et quae a Nobis ante statuta sunt*,
„ *exequantur*; jussitque eos, si res ab aliquibus in disceptatio-
„ nem vocaretur, *de eorum sententiis judicare*, *non subire cer-*
„ *tamen*. „

Ex hoc porro luculentissimo quum Coelestini, tum Cyrilli testimonio liquidò apparet, hanc eâ aetate Traditionem, sensumque fuisse quum Romanae, tum Alexandrinae Ecclesiae, sententiam a Romano Pontifice latam habendam esse velut fixum, ratumque judicium, quod sequi omnes Ecclesiae deberent: de quo nullum superesset certamen subeundum; quo uno Catholici ab Haereticis tutô discernerentur; quod repellere nefas esset, nisi qui vellet a Catholicâ Communione excidere.

Quod

„ tis communione excidere noluerint . . . . Nos enim sequemur,
„ quae illi judicaverunt. „ Et Epist. Sacrae Synodi ad Religiosissimos Imperatores de Nestorii depositione „ Laudavimus Coelestinum Sanctissimum,
„ Deoque Dilectissimum Magnae Romae Episcopum, qui ante nostram
„ sententiam haeretica Nestorii Dogmata condemnarat, nosque in ferendâ
„ contra ipsum sententiâ anteverterat prospiciens securitati Ecclesiarum,
„ et piae, salutarique fidei a Sanctis Apostolis, Evangelistis, Sanctisque
„ Patribus nobis traditae. „

Quod si tamen adhuc causa Nestorii delata est ad Synodum, eo consilio id factum dicemus cum laudato Scriptore, „ ut decepti ab haereticis, aut praejudiciis, atque difficultatum nebulis impediti, tot Patrum doctrinis, & sermonibus instructi, atque convicti ad catholicum sensum, et unitatem adducerentur, ut ne tamen liberum, ac licitum crederetur Apostolicae definitioni, quam semper Œcumenicae Synodi ratam habuerunt, nunquam repudiarunt, contradicere, ac repugnare. „

Neque omittendum, quod (eodem referente Scriptore) „ Auctor Capitulorum de Gratiâ Dei, quae subjiciuntur Epistolae Coelestini ad Venerium, caeterosque Gallicanos Episcopos, quicumque ille sit, sive idem Coelestinus, sive Sanctus Leo, sive, ut Scriptor probabilius putat, Sanctus Prosper ita sententias, seu auctoritates Romanae Sedis credendas proponit, *ut prorsus*, inquit, *non opinemur Catholicum, quod apparuerit, praefixis sententiis esse contrarium*. „

Quod posteaquam adhuc illustravit *Xysti III.* praeclaro testimonio *Epist. ad Johan. Antioch.* ad ipsammet Causam Nestorii pertinente, subjicit egregium in eam Coustantii Commentarium: „ Ubi, *inquit*, notanda vis argumenti, quo Xystus ab Sedis Apostolicae doctrinâ discedendum non esse probat: Quia nimirum haec ipsissima est Doctrina, quam non ex incertâ hominum relatione, aut ex libris obscuris, et ambigue scriptis, sed ex primario veritatis fonte, hoc est ex ipso Christi ore accepit Petrus, et exinde Ecclesiae suae servandam impertiit. Unde sequitur, absolutam, simplicem, et controversiae expertem esse Apostolicae Sedis fidem. „ Ita Vir egregius, nec de nimio in Romanam Sedem studio suspectus.

Nunc ut ab Ephesinâ Synodo ad Chalcedonensem progrediamur, ex actis hujusce Concilii clariùs adhuc elucet, judicia Sedis Apostolicae immutabili per se se firmitate pollere. 1. Hanc firmitatem agnovit Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, qui scribens ad Leonem palam testatur, ad convincendam Eutychis haeresim non Concilio esse opus, sed eam totam Causam Leonis auctoritate finiri posse. Perspicua sunt verba Flaviani (*apud Labb. tom.4. Edit. Ven. col.778. B.*) „ Causa enim, *inquit*, eget solummodo vestro solatio, atque defensione, quâ debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem

„ cuncta perducere. Sic enim haeresis, quae surrexit; & Turbae, quae propter eam factae sunt, facillime destruentur Deo „ cooperante per vestras sacratissimas litteras. Removebitur „ autem et Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimae turbentur Ecclesiae. „ Sic Teste Flaviano Sacratissimae Leonis litterae id omne praestare poterant, quod fuisset a Synodo Generali expectandum.

2. Hanc firmitatem agnovit S. Leo, dum scribens ad Theodosium significat, ex unâ parte a Synodo abstinueri potuisse; ex aliâ parte Marcianum aliis litteris monet (*Epist.82. recens. Baller.*), ne cujusquam procaci, impudentique versutiâ quasi de incerto quid sentiendum sit, sineret inquiri: nec, cujusmodi sit fides tenenda, esse tractandum, sed quorum precibus, & qualiter annuendum: Scilicet vetabat, ne definita suis litteris fidei regula in dubium revocaretur, aut de illâ quomodocumque retractandâ ageretur.

3. Agnovit S. Petrus Chrysologus, qui ad Eutychem rescribens hortatur eum, sententiae Pontificis acquiescere: *Quoniam Beatus Petrus, qui in propriâ Sede et vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.*

Jam in ipsâ Synodo absolutis primâ actione, quae pertinebant ad acta Latrocinii Ephesini, actione secundâ Judices a Patribus postularunt, ut quid de fide tenendum esset, exponerent. Tum Cecroprius Sebastopolitanus Episcopus dixit: „ Emerserunt, „ quae ad Eutychem pertinebant, et super his forma data est a „ Sanctissimo Archiepiscopo Romanae Urbis, et sequimur eam, „ et Epistolae Omnes subscripsimus: Ita omnes dicimus: Sufficiunt, quae exposita sunt: Aliam expositionem non licet fieri: Reverendissimi Episcopi clamaverunt: ista omnes dicimus. „ Itaque Patres omnes aperte, et palàm professi sunt, expositionem sufficere, quae tamquam *forma* data erat a Leone.

Quum autem a Judicibus injecta esset mentio de instituendâ collatione, ut, si qui constitutae regulae adversarentur, eorum voluntates manifestae fierent, Florentius Episcopus Sardium aperte quoque professus est, qui recte sentirent, ampliori discussione non indigere. „ Quamvis, *inquit*, in nostrâ Personâ, „ qui Epistolae Sanctissimi Leonis subscripsimus, non indigeamus.

„ mus correctione. „ Quibus liquidò constat, nullam ab illis Episcopis discussionem postulatam, ut sententiae Leonis tamquam certissimae fidei regulae subscriberent: Subinde quum lecta esset celebris illa, nec unquam satis laudata Leonis ad Flavianum Epistola, tum illa erupit vox acclamantium Patrum, quam ex ore omnium uno velut impetu Catholicus sensus expressit: *Petrus per Leonem loquutus est*.

Hactenus nulla discussio. Sed quum Illyriciani, et Palaestini Episcopi, graece minus docti, de sensu trium locorum ejusdem Epistolae dubitationem aliquam movissent, ipsis induciae datae sunt, ut interea docerentur. At „ Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Omnes ita credimus; sicut Leo, ita credi„ mus. Nostrum nullus dubitat. Nos jam subscripsimus. „ Quae qui aequo animo perpenderit, intelliget sic susceptam a Patribus Chalcedonensibus Leonis Epistolam, ut ei tamquam oraculo Petri per Leonem loquentis sine aliâ discussione subscribendum censerent: Discussionem autem postmodum non alio consilio susceptam, quam ut adversûs eos, qui veritati resistunt, consonantia ejus Epistolae cum testimoniis Patrum clarius appareret, ut etiam intelligi potest ex alloquutione Patrum ad Marcianum in fine Concilii.

Nec minus luculenter ex gestis in sextâ Oecumenicâ Synodo prodit sese immota firmitas Apostolici judicii de rebus ad Fidem, Religionemque pertinentibus. Jam damnata fuerat Monothelitarum haeresis a Martino I., et Agathone, quum ad frangendam, si fieri posset, errantium contumaciam consilium susceptum est Œcumenicae Synodi ope, ac praesidio Constantini Pogonati convocandae. Lecta fuit *act.*4. Agathonis Epistola Dogmatica, quam Patres velut Sanctorum Traditioni consentaneam unanimi suffragio, ac plausu comprobarunt. Hinc porro inferri posse censuit Scriptor *Defensionis*, quae *Bossuetio* vulgo tribuitur, *p.*2. *l.*12. *c.*24., Concilii Patres hâc mente Agathonis Epistolam suo judicio subjecisse, quod minime necesse putarent, singula Romanorum Pontificum Decreta etiam de Fide indiscussa suscipi. Longe tamen aliam mentem eorum fuisse, acta ipsa Synodi evincunt. Jam ex Agathonis litteris *actione*.4. perlectis liquet, Agathoni, et Occidentalibus persuasum fuisse, causam illam totam tam certo jam, ac irrevocabili judicio definitam ha-

bendam esse, ut Synodi Praesulibus non amplius fas esset de latis in Occidente Decretis Apostolicâ sententiâ firmatis contendere, aut ab eis ullo pacto recedere. Scilicet Agatho expressis verbis declarabat, hâc mente Legatos misisse, qui suo nomine Synodo praeessent, *ut nihil de eis, quae regulariter definita sunt, minuatur; nihil mutetur, vel augeatur; sed eadem et verbis, et sensibus illibata custodiantur*. Testabatur, non aliam se licentiam, auctoritatemve Legatis dedisse, *nisi simpliciter satisfaciendi, in quantum*, ait, *eis dumtaxat injunctum est, ut nihil profecto praesumant augere, minuere, vel mutare; sed Traditionem hujus Apostolicae Sedis, ut a Praedecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sinceriter enarrare*. Haud igitur censebat Agatho, cui Occidentales consentiebant, Apostolicae Sedis definitiones cum libertate dissensûs a Synodo discutiendas fore, quin potius praescriptis verbis edicebat, nil in eis immutari posse, et quae jam definita erant, verbis, ac sensibus illibata custodiri debere. Hoc jus nimirum, has partes esse Apostolici muneris fidem dictare, quam caeterae Ecclesiae sequerentur, „ quod, *inquit*, annitente B. Petri praesidio, qui spiritales Ecclesiae oves ab ipso Redemtore omnium ternâ commendatione pascendas suscepit, haec Apostolica ejus Ecclesia nunquam a viâ veritatis in quâlibet erroris parte deflexa est; cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, et universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis sequutae sunt;..... quoniam (ut deinceps subjungit) Dominus, et Salvator omnium, cujus fides est; qui fidem Petri non defuturam promisit, confirmare cum Fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meae exiguitatis Praedecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum. „

Profecto nemo est, qui non perspiciat, hujus totius orationis contextum eô spectare, ac ducere, ut in Dogmaticis Apostolicae Sedis judiciis firmam constituat, ac proponat fidei regulam nulli amplius retractationi obnoxiam; hanc esse verborum, quae recitata sunt, planam, obviamque intelligentiam, quam quisquis aliter sentit, necesse habeat plane deserere, et in alienos sensus, quos ipsa littera respuit, contortâ interpretatione deflectere. Atqui tamen, fatente laudato *Defensionis* Scriptore

ptore „ *Haec Concilii Patres audiunt*, *atque suscipiunt*. „ Quid hîc dicturi sumus, siquidem verum amamus? An adeo hebetes fuisse Patres, ut, quum verba audirent, quid verbis significaretur, minus intelligerent? Quod si intellexerunt, et susceperunt, omnino et verba, et subjectam verbis sententiam suscepisse censendi sunt. Reverâ qui nunc hâc parte a nobis dissentiunt, dum talia audiunt, non simpliciter suscipiunt, sed ea student conquisitis interpretationibus emollire. Quidni sextae Synodi Patres perinde fecissent, si cum Adversariis potius, quam cum nobis sensissent?

Quin et ipse Auctor Defensionis non potuit non agnoscere, verbis illis Agathonis in sextâ Synodo auditis, et susceptis grave admodum de immutabili judiciorum Sedis Apostolicae constantiâ testimonium contineri. *Itaque profitetur*, *hanc revera constantiam esse omnino agnoscendam*; *non ita tamen*, *ut prorsus necesse sit*, *illam in singulis singillatim Decretis agnoscere*: *sed ita*, *ut universim sumta*, *summa ipsa in totâ*, *et integrâ Petri successione valeant*, *ut*, inquit, *saepe diximus*, *et suo loco dicemus uberius*. Proinde in summâ saltem Decretorum, quae ab Apostolicâ Sede in totâ Petri successione prodeunt, certam, immotamque fidei regulam non invitus ille agnoscit. At 1. quum summa Decretorum ex singulis Decretis confletur, quo pacto constabit summae totius immutabilis firmitas, si singula nutaverint, quae ad illam conflandam colliguntur? Quî porro convenit, aut quae ratio est, ut haec perpetua Petri successio sic dispescatur, ut in singulis partibus instabilitas, in totâ serie immutabilis firmitas prodere sese debeat? 2. Immo quo tandem fundamento nititur, aut unde illa depromitur successionis totius constantia, nisi ex Christi promissis, ac verbis, quibus ille Primatum, et cum Primatu pascendarum ovium, et confirmandorum Fratrum curam, potestatemque commendavit? Jam vero quâ ratione, quâve auctoritate probatur, eam constantiam, quae toti successioni pro summâ Decretorum tributa conceditur, non fuisse perinde singulis Decretis attributam? Quodnam ejus distinctionis vestigium Christi verbis, et promissis apparet? An ubi agebatur de confirmandis Fratribus Christi Providentia successionem in summâ firmam esse voluit, in partibus imbecillam reliquit? Quis ex Patribus ejus distinctionis meminit? Ipsa ergo se suâ novitate refellit.

Sed.

Sed ut ad Patres Constantinopolitanos redeamus, quid argumentis opus ad eorum mentem eruendam, quam ipsi produnt apertissime, dum et Decreti ab ipsis condendi Agathonem Auctorem agnoscunt, et ejusdem conditi confirmationem ab eo postulant? Atqui utrumque praestant Synodicis litteris, quibus de rebus gestis ad eum referunt. Primûm quidem in gravissimis malis, quibus conflictabatur Ecclesia, Pontificem ipsum Divinâ Sapientiâ Opitulatorem sibi datum gratulantur: Tum sic eum pergunt alloqui: „ Itaque Tibi ut Protothrono universalis Ecclesiae τὸ „ πρακτέον relinquimus stanti super firmam fidei Petram, perlectis „ verae Confessionis litteris a Vestrâ Paternâ Beatitudine ad piis- „ simum Imperatorem missis, quas ut a summo Apostolorum „ vertice Divine perscriptas agnoscimus, per quas exortam nu- „ per multiplicis erroris haereticam Sectam depulimus. „

Ac deinceps: „ Sic nos Sancto Spiritu illustrati, vestrâque „ instituti doctrinâ infesta Dogmata impietatis depulimus.„

Tum: „ Orthodoxae Fidei splendidam lucem vobiscum clare „ praedicavimus: quam ut iterum per honorabilia vestra Rescri- „ pta confirmetis, Vestram oramus Paternam Sanctitatem. „

Consonant voces intimi sensûs indices, quae in Prosphonetico, seu sermone acclamatorio eruperunt: *Confessionem a Deo scriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit, ... et per Agathonem Petrus loquebatur*: Expressiûs etiam, si fieri potest, in litteris ad Leonem II. Agathonis Successorem, quibus testantur Patres, se in Agathone *ipsum Principem Apostolici Chori, primaeque Cathedrae Antistitem Petrum contuitos esse, ... sacrasque illius litteras, velut ipsum Petrum, ulnis animi suscepisse.*

Nihil igitur est caussae, cur existimemus, Patres sextae Synodi aut minus intellexisse, quae de immotâ judicii Apostolici firmitate perspicuis verbis praescriptum ab Agathone audiebant; aut non intimo sensu comprobasse, quae suscipere se, et *ulnis animi* complecti profitebantur. In hâc itaque Synodo mirum in modum eluxit eâ de re Orientalium, Occidentaliumque Consensio: Quod enim Occidentales id ratum, fixumque censerent, quod esset ab Apostolicâ Sede judicatum, satis patet ex ipsismet Agathonis litteris.

Hujus consensionis luculentum argumentum suppeditat Concilium Aurelianense V. an. 549. magnâ Galliae, ac Germaniae Prae-

Praesulum frequentiâ, et celebritate conspicuum, cui Sanctitate insignes Episcopi plures interfuere, inter quos Sanctus Nicetius Trevirensis, de quo praeclara multa ex Trevirensis Ecclesiae monumentis ab Episcopo Myriophitano diligenter collecta proferuntur. Primo scilicet ejus Synodi Canone, ut refert etiam *Natalis Alexander Hist. Eccl. Saec. VI. c. 5. art.* 18., „ Nestorii, „ et Eutychetis Sectae cum earum Auctoribus, et Sectatoribus „ anathematizantur secundum Sedis Apostolicae judicium, *quas* „ *etiam Sectas*, inquiunt Patres, *Sedes Apostolica, et Sancta* „ *condemnat*. Haereses illas (prout jam superius ex Natali de„ scripsimus) in Synodis Ephesinâ, et Chalcedonensi damnatas „ non ignorabant Ecclesiae Gallicanae Patres : Tamen Apostoli„ cae tantum Sedis in suo Decreto meminerunt rati, satis esse, „ quum de Fidei Dogmatibus agebatur, si sanciretur constitutio, „ quae Romanae Sedis niteretur auctoritate, cui refragari nullus „ deberet. „.

Revera, quod praetermissâ omni Ephesinae, et Chalcedonensis Concilii mentione Gallicani Patres in unâ Sedis Apostolicae sententiâ conquiescant, magno argumento est, eos fixum, et irrevocabile judicium de Fidei Dogmatibus ad eam Sedem retulisse, quae Decretis illarum Synodorum praeluxerat, quidve definiendum esset, diserte praescripserat. Nec dubitandum, quin eo plane sensu inter caeteros Aurelianensi Concilio subscripserit Sanctus Nicetius, quum Teste Myriophitano in Ecclesiâ Trevirensi constans vigeret sententia, quae in Apostolicae Sedis judicio immotam, et irrevocabilem fidei normam constituit. Cujus Traditionis ad sua usque tempora productae praeclarum cum aliis multis testimonium exhibet Gallicanus Praesul Sanctitatis, ac doctrinae laude spectatissimus *Ivo Carnotensis* his verbis, quae superius etiam ex Natali Alexandro retulimus, „ Sedis Apostolicae judiciis, „ et constitutionibus obviare plane est haereticae pravitatis notam „ incurrere. „.

Sed proferenda in medium de Trevirensis Ecclesiae Traditione laudati Myriophitani auctoritas *in Historiae suae Prodromo pag.* 322. quo loco de doctrinâ, et disciplinâ ejus Ecclesiae sermonem instituit : „ Quod vero, *inquit*, ad punctum doctrinae „ attinet, videtur jam sub Francis apud nos recepta fuisse senten„ tia de infallibilitate Romani Pontificis : Intelligimus id ex Regi-

nonis,

„ nonis nostri Chronico ad an. 865., ubi Guntharinm, et Theut-
„ gaudum Archiepiscopos *stultitiae elogio denotandos* asserit, *qui*
„ *illam Petri Sedem aliquo pravo Dogmate fallere posse arbitrati*
„ *sunt*, *quae nec sese fefellit*, *nec ab aliquâ haeresi unquam fal-*
„ *li potuit*. „ Quamquam hanc thesim Regino ibidem ad judicium
„ causae particularis sinistre applicat, vere tamen inde conclu-
„ ditur, hanc opinionem etiam in Gallicanâ Ecclesiâ antiquio-
„ rem esse, atque nonnullis videri voluit. „

Hinc petenda explicatio, vel emendatio eorum, quae scribit *Febronius p. 193.* de gestis in causa Lutheri, quae sic ille distinguit: Sparserat Lutherus haereses. Leo Papa X. eum propterea
„ in jûs vocat. Lutherus ab hâc citatione provocat ad Concilium
„ Generale. Pontifex hanc provocationem justissime perstringit
„ Bullâ suâ an. 1520. editâ. „ Hactenus, *pergit ille*, erat ea privata Lutheri causa nullâ convocatione Concilii digna. Sed postquam tantos in Germaniâ motus excitasset, ut recessibus Imperii ab an. 1524. ad an. 1557. declarata sit Concilii Generalis necessitas, et Carolus V. non destiterit illam convocationem urgere, sicque *communis*, *et publica* ea causa facta esset, „ tum ea non so-
„ lum celebrationi Concilii ansam dedit, sed et errores a Pontifi-
„ ce damnati rursus ab integro in eâdem Synodo discussi sunt, uti
„ manifestum fit ex collatione Actorum Tridentini cum Bullâ Leo-
„ nis: Idque non attento, quod(uti sonant ejusdem Bullae verba)
„ eadem concepta fuerit post deliberationem, tractatum, et di-
„ scussionem tanto negotio parem, exceptâque praeviâ senten-
„ tiâ Cardinalium, et complurium aliorum virorum insignium. „

De caussâ convocandi Concilii aptius disserit *Natalis Alexander Dissert. 12. in Saec. XVI. art. 1.* „ Grassante in Germa-
„ niâ Lutheranâ haeresi Clemens VII. Pontifex Maximus conside-
„ rans, Conventus a Carolo V. Imperatore Celebratos, ac prae-
„ sertim Augustanum ad haereticos ab erroribus dimovendos ni-
„ hil contulisse, de Concilii Generalis celebratione cum eodem
„ Imperatore, aliisque Principibus Christianis consilia agitare
„ coepit: Quod post errorum Lutheri damnationem a Leone X.
„ factam unicum illud remedium ad eorum vincendam, seu do-
„ mandam perfidiam superesset, ut scribit idem Pontifex in litte-
„ ris ad Franciscum I. Regem Christianissimum datis 2. Januar.
„ ann. 1533. „

Quod

Quod ergo memorat Febronius, Lutheri errores rursum ab integro in Concilio Tridentino discussos fuisse, vel eam discussionem eô refert, ut uberiore quâdam explicatione, ac tot conspirantium Patrum consensu haereticorum tandem contumacia molliretur; eoque nil detrahitur firmitati judicii, quo antea Lutheri errores a Leone X. damnati fuerant: Vel existimat, sic ab integro fuisse discussos, quasi nondum fixo, et immutabili judicio damnati essent, tumque Febronio suscipienda pugna erit et adversûs Febronium ipsum, qui antea statuerit, jam ante Tridentinum Lutheri errores irrevocabiliter fuisse damnatos, et adversûs Carolum V., qui post Bullam Leonis X. Lutherum ut haereticum habuit, et adversûs tot Synodos superius laudatas, quae de iisdem erroribus tamquam de damnatis haeresibus sine ullâ haesitatione decreverunt.

Quod ergo in Causâ Nestorii, et Eutychis Ballerinius probe animadvertit de his, quae definita sunt, libertatem examinis ad revocandos errantes sine libertate dissensûs quoad Catholicos consistere posse, id in causam Lutheri, et in disquisitiones de illius erroribus habitas in Tridentinâ Synodo non incommode transferri potest. Et sane, quum fateatur Febronius, statuatque, Lutheri errores ab Ecclesiâ jam ante Tridentinum irrevocabiliter damnatos fuisse, si aliqua fuisset adhuc in Patribus sine aperto fidei detrimento dissentiendi libertas, sequeretur, a Synodo Generali retractari posse velut adhuc revocabile, quod jam fuisset ab Ecclesiâ irrevocabiliter definitum, quo fieret, ut Ecclesia secum ipsa pugnaret, aut saltem de se ipsâ diffideret.

Ex doctrinâ sub hâc Positione traditâ duo consectaria eruit Febronius: 1. ut non in privatis quibusque negotiis, aut frivolis, sed tantum in communibus; seu summis Recursus, seu improprie dicta Appellatio a Papâ ad Concilium locum habeat: Quasi vero quisquam adhuc repertus esset, qui pro privatis, frivolisve negotiis ejusmodi, quantumvis improprie dictam, appellationem concederet. Caeterum ad hoc stabiliendum jus appellationis pro causis maximi momenti pertinere censuit, quod an. 1460. dixit Johannes Dauvet, quando, ut ait, *cum reverentiâ* contradixit Bullae *Execrabilis* Pii II., quâ Pontifex generatim omnes ad futurum Concilium appellationes sub poenâ Excommunicationis interdixit. Ait autem Dauvet, censendum non esse, Pontificem

prohibere voluisse recursum ad Concilium, ubi ageretur de caussis maximi momenti, velut etiam de gravaminibus, quae per aliquem Summorum Pontificum inferri contingeret Principibus, aut Regionibus. Videat porro Febronius, quanti facienda sit ad elevandam censuram generali interdicto latam hujus hominis interpretatio ab Antistite, qui non privatas, sed Canonicas auctoritates sequi se velle, profiteatur. Aliunde, quod Appellationes istae super gravaminibus, quae sequiori tantum aevo audiri caeperunt, minime probent, Concilium aliquid potestatis in Pontificem habere, diserte explicat *Petrus Ballerinius de Potest. Eccles., Sum. Pont., et Con. Generalis c. 5., §. 2. num. 19.*, concluditque: „ Ex hâc itaque gestorum serie, quam ex antiquitate deduximus, apparet manifeste, nihil, vel fere nihil hactenus inter Catholicos potuisse obtinere, quod Pontificiam Auctoritatem cuipiam Ecclesiasticae jurisdictioni subjiceret, sed semper apud ipsos valuisse principium illud, quod Antiqui variis occasionibus ingesserunt constanter, Judicium de Summis Pontificibus nemini competere jure Primatûs, quo, quum ipsi superiores sint omnibus, non possunt ab inferioribus judicari. „

Reverâ ipsemet De Marca fateri coactus est, appellationes a Papâ ad Concilium a vetere disciplinâ alienas esse: Et quamvis notet *Febronius p. 192.*, eum propterea vapulasse *a Bossuetio l. 13. c. 23.*, tamen sive Bossuetius, sive alius quisque Scriptor ejus operis nullam in totâ antiquitate expressam hujusmodi appellationum factam mentionem profert, eoque redigitur, ut dicat, si novum fortasse sit vocabulum, rem tamen esse antiquissimam. Parum sane firma defensio. Non novum, non inusitatum erat illis temporibus in judiciis Ecclesiasticis appellationis vocabulum: Mos jam frequens invaluerat, ut ab Episcopis ad Synodos, a Synodis, vel Episcopis, aliisve inferioribus ad Pontificem appellaretur; illaeque provocationes nomine suo notabantur, quippe usitatae rei usitatum quoque oportebat esse vocabulum. Quod ergo de appellatione a Papâ ad Concilium nulla ejusmodi mentio fiat, argumento est, non aliâ de caussâ vocabulum defuisse, nisi quia nec dum cogitatum erat de re subjectâ vocabulo.

Alterum consectarium, quod ex praemissis doctrinis eruit Febronius, istud est, „ ut etiam, ubi appellatio rite interposita est, Jurisdictio tamen Pontificis in illo negotio non prorsus

sus-

„ suspendatur: praeterquam quod enim, *inquit*, interpositâ „ etiam appellatione sententiae Pontificis tamquam provisoriae „ modeste assurgendum sit, uti alibi diximus, jus praesidendi „ in Conciliis Oecumenicis ad Pontificem vi Primatûs pertinet, a „ cujus juris exercitio nusquam exclusus est ab Ecclesiâ: quum ex „ Ecclesiae usu, et praxi id solum obtineat, ut prioribus Judicibus „ jungantur alii, et plurimi Episcopi universae etiam Ecclesiae, qui „ junctim in Concilio plenissime rem discutiant. Accedit, quod „ nec sine Pontifice Concilia celebrentur Oecumenica, nisi sum- „ mâ necessitate, ac ipso renuente. Hactenus, *inquit*, Rmus „ Rautenstrauch „.

Pergit porro: „ Ex dictis apparet, appellationes a Papâ ad „ Concilium (quatenus eae jure, et praxi Ecclesiae probantur) „ illis esse dissimiles, quae quotidie in Foro occurrunt, et quâ- „ vis ex caussâ, et quolibet in negotio Civili, aut Ecclesiastico „ interponi possunt. „

Multa hîc notanda. 1. Qui appellationes a Papâ ad Concilium sequiori aevo induxerunt, non eas voluere similes illarum, quae quotidie in Foro, et quâvis de caussâ interponuntur. Nihilominus istas generatim appellationes damnarunt Pontifices, et quas damnarunt, omni jure ab ipsis damnatas esse, hâc suâ positione adstruit Febronius. Vehementer igitur secum ipse pugnat, dum in Commentario allatam dissimilitudinem valere censet, ut appellationes rite interponi queant velut jure probatae.

2. Quod sententiae Pontificis non aliam vim Febronius tribuat, quam *provisorii judicii*, satis jam ex superius dictis refellitur: Quamquam etiam notanda vocabuli novitas, quae opinionis novitatem, atque adeo et vanitatem prodit, et arguit.

3. Quod ait, Pontificem nusquam exclusum esse ab Ecclesiâ exercitio juris praesidendi Conciliis Generalibus, suspicionem quamdam injicit, num forte putet, excludi eum potuisse juris ejus exercitio, quod jus, fatente ipso, Primatui cohaeret, quodque Pontifex non ab Ecclesiâ, sed a Christo habet.

4. In eo, quod subjungit ex Rautenstrauch, sine Pontifice non celebrari Concilia Oecumenica, *nisi summâ necessitate*, *et ipso renuente*, verendum ei profecto est, ne nimiam seditiosis hominibus turbandi licentiam tribuat. Nusquam enim necessitatis praetextus illis defuit, qui turbas sive in Ecclesiâ, sive in Repu-

blicâ excitare voluerunt. At si firmum stat, quod in suâ Retractatione Febronius ex Patrum sententiâ vere dixit „ *Ubi Petrus, ibi Ecclesia*, „ sane quotiescumque adest legitimus Pontifex, Ecclesia nec esse in ullo coetu, nec ab ullo coetu repraesentari potest, qui eo capite careat, quod ei Christus praeposuit, principalique auctoritate in Ecclesiae administratione insignivit. Quâ de re videndus *Bellarminus de Concil. l.* 1. *c.* 14., ubi de casibus extraordinariis docte, sapienterque more suo disserit.

5. Quod pro ultimâ causarum definitione postulat, ut plurimi Episcopi ex universâ etiam Ecclesiâ junctim in Concilio plenissime rem discutiant, et irretractabiliter definiant, nullo pacto constat, sive ad causas disciplinae, sive ad causas fidei referatur, quae tamen potissimae sunt causae communes, ob quas Isti appellationes, ut supra explicatae sunt, a Papâ ad Concilium concedunt. Nam, si agitur de disciplinâ, nil vetat, quominus in ea, quae fuerint ab antecedente Concilio statuta, mutatio aliqua postmodum legitimâ auctoritate inducatur. Quo pertinet illud Augustini dictum, priora Concilia interdum a posterioribus emendari. Si vero ad causas fidei, falsum est, opus esse, Episcopos in Concilium convenire, ut irretractabile judicium prodeat: Quippe nemo Catholicus dubitat, hanc semper in Ecclesiâ auctoritatem vigere, ut suborientes haereses irretractabiliter damnentur, prout notum est, plures a primis Saeculis absque Concilio irretractabiliter damnatas esse.

POSITIO XXXI.

„ Beneficiorum reservationes sanae rationi, et aequitati con-„ sonae sunt. „

ANIMADVERS.

Tradit velut statutam a *Cardinali de Luca* Regulam, *tom.* 1. *in Sum. Benefic.* §. 2. *num.* 6., *Juris communis dispositione, et primaevo Ecclesiae usu attentis omnia beneficia quandocumque, et quomodocumque vacantia ad Episcopi, seu Ordinarii Loci Collationem pertinere*.

Id autem juris duplici potissimum ex capite repetit Febronius.

Pri-

Primùm, quod hoc Episcoporum jus portio sit plenariae potestatis, quâ illi pollent ad regendas suas Ecclesias. Id, quod, *inquit*, etiam confirmat observantia primorum decem Saeculorum. Deinde quod, quum Beneficia a Sacrâ Ordinatione sejuncta non essent, ipsaque Ordinum Collatio vice Collationis Beneficiorum esset, per se fluit, Collationem ad Episcopum pertinuisse.

Verum in hanc plenariam potestatem transferri possunt, quae dicta sunt *de indefinitâ* illâ potestate, quam superius Febronius Episcopis tribuit. Sane jure Divino constat, quam potestatem Christus in Episcopos collatam voluit, ita collatam esse, ut Primatis Ecclesiae potestati subjecta esset. Constat, Ecclesiastico jure jam ab initio inferiores Episcopos primarum Sedium Episcopis subjectos etiam fuisse; atque potestatis, quâ pollebant, usum Canonum statutis nunquam non fuisse certis limitibus circumscriptum. Certe non obstitit illa Episcoporum potestas, quin primarum Sedium Episcopi multa sibi etiam quoad munerum Ecclesiasticorum in subjectis Ecclesiis distributionem reservarent. Cujus rei praeclarum documentum praebet ea, „ quae invaluerat in „ Ecclesiis Africanis consuetudo, ut ab Archiepiscopo Carthagi„ nensi peterent Episcopos; et quae fuit ejus in illos potestas, ut „ quem vellet, cui vellet Ecclesiae, vel Episcopo auferret Cle„ ricum, ac petenti ordinaret Ecclesiae. „ *Thomassin. p.* 1. *l.* 1. *c.* 20. *num.* 8.; Scilicet Patres Africani in Concilio Carthaginensi III. sic Primatem suum Aurelium alloquuntur. „ Necesse habes „ tu omnes Ecclesias suffulcire. Unde Tibi non potestatem da„ mus, sed Tuam assignamus, ut liceat Voluntati Tuae semper „ et tenere, quem voles, ut Praepositos Ecclesiis, vel Plebibus „ constituas, qui postulati fuerint, et unde voles. „ Testantur Episcopi, non hanc potestatem se Primati dare, sed, quae ipsi competeret, agnoscere. Ideo vero eam potestatem illi competere, agnoscunt, quod ei necesse sit omnes Ecclesias suffulcire: Porro quod Carthaginensis Episcopus necesse haberet Africanas Ecclesias suffulcire, id ei non Divino, sed Ecclesiastico tantum jure tributum fuerat: Quod vero Pontifex Romanus omnium prorsus Ecclesiarum sollicitudinem gerere, omnesque suffulcire debeat, id ei non Ecclesiastico, sed Divino instituto commendatum est, ac praeceptum. Quis ergo putet, minus juris ex Divino instituto in Romanum Pontificem quoad universam Ecclesiam, quam in Car-

Carthaginensem quoad Africanas ex instituto Ecclesiastico manare debuisse? Quod igitur Cardinalis de Luca statuat, Episcopos ex dispositione juris antiqui Ordinarios esse in suis Ecclesiis Collatores Beneficiorum, esto, si placet; nec enim praesentis est instituti ejus rei disquisitio: Quod vero id juris repetat Febronius ex commentitiâ illâ plenariâ, et indefinitâ potestate, quâ olim praeditos Episcopos fuisse in suis regendis Ecclesiis, contendit, fundamentum id videtur nec satis firmum, nec satis considerate positum.

In eo vero, quod subjungit, Collationem Beneficiorum ex hoc etiam capite ad Episcopos pertinuisse, quod olim Ordinatio esset vice Collationis Beneficii, in eo latet aliqua ambiguitas. Nam si hoc ita dicit, quasi Ordinatio esset vi suâ Collatio Beneficii adeo, ut ex Ordinatione in sese spectatâ jus oriretur ad Beneficium, in eo sane falli videtur: Jus illud oriebatur ex vocatione, seu missione in Beneficium, quam vocationem ut plurimûm Ordinatio proxime consequebatur. Designabatur scilicet, eligebatur, qui vacanti Titulo praeficiendus esset; nec ordinari solebat, nisi qui sic electus, aut designatus esset ad Beneficium. Itaque Collatio Beneficii plerumque quidem conjuncta erat cum Ordinatione; nec ideo tamen unum, eumdemque actum constituebat, sed duo actus erant naturâ diversi, tempore conjuncti. Hinc si Ordinatio fieret praeter statuta Canonum, Clericus Ordinationem quidem recipiebat, nec tamen jus ad Beneficium consequebatur, quod nimirum legitima missio deesset, sine quâ nemo cuiquam Ministerio Ecclesiastico rite praeficitur.

Atque hujus quidem missionis penes Romanum Pontificem summa semper fuit auctoritas. Quod quum aliis multis ex totâ antiquitate depromtis monumentis constat, quae partim alibi protulimus contra Slevogtium, tum manifestum fit antiquo illo more, cujus tot insignia exempla edidit S. Gregorius Magnus, quo nimirum Ecclesiae aut Pastore viduatae, aut ineptum Pastorem nactae alienis Episcopis commendabantur, qui a Romano Pontifice plenam administrationis potestatem accipiebant. Quâ de re videatur *Thomassinus p. 2. l. 3. c. 10. et seq.* An non tum Pontifex sibi reservabat, ac veluti per sese potestatem exercebat, quam suis Visitatoribus committebat? Quod ergo Romani Pontifices ocyus serius reservandi jure usi sint, nil id attinet ad potestatem, quam

quam non aliunde quaesitam, sed Primatui cohaerentem habent. Nec sane ratio afferri ulla potest, cur non de Beneficiis perinde valere debeat, quod de criminum absolutione Tridentinum declaravit, potuisse Pontificem graviora crimina suo judicio reservare, idque potuisse pro Supremâ, quâ Summi Pontifices pollent in Ecclesiâ universâ, potestate.

Non ergo legitimo jure caruere primi reservationum Auctores, ut innuere videtur *Febronius p.* 200., sed primi dicendi sunt jus illud explicuisse, quod ipsis pro injuncto Divinitûs munere sollicitudinis omnium Ecclesiarum competebat, quemadmodum in sollicitudine, quam Ecclesiastico instituto gerebat Ecclesiarum Africae Carthaginensis Episcopus, nitebatur jus illud amplissimum, quod in eo Carthaginense Concilium agnovit. Fatetur Febronius hâc Positione, jus reservationum aequitati, et rationi consonum esse. Quid est ergo, quod cuiquam mirum videri debeat, id juris fuisse a Christo Primatui collatum, quod sit rationi, et aequitati aptissimum?

Caeterum non diffitetur Febronius, Reservationes multis abhinc Saeculis invaluisse. Ex hac porro diuturnâ possessione alio etiam quovis titulo deficiente (multo magis vero ubi possessio superiori auctoritati adjungitur) certum jus existere, quod nullâ ratione convelli queat, planum fit vel ipsâ auctoritate, quam ille profert *p.* 200. *Antonii Hotmanni*, quem „ Petrus Puteanus sub initium Commentarii Petri Pithaei de libertatibus „ Gallicanis earumdem libertatum scientissimum nominat. Quando (*inquit Hotmannus*) superior quicquam sibi more vindicavit, id ei loco tituli est. Atque id habet Superior commodi, „ quod ea, quae sibi consuetudine asseruit, juribus superioritatis tribuantur. Et hinc subsidia, quae Pontifices ab Ecclesiis inferioribus percipiunt, juribus illis adscribuntur. In praescriptione immemoriali non opus est ostendere titulum, sed illum „ allegare sufficit..... Hanc possessionem oportet esse immemorialem. Quod non tamen sic intelligendum est, quasi oporteat, haec jura ita esse vetusta, ut credantur a primâ Ecclesiae origine fuisse imposita; sufficit enim impositionis ejus, seu „ perceptionis jurium initia esse extra hominum memoriam..... „ Et quidem Pontifices multis potiuntur juribus, quae ab antiquo „ immemoriali tempore solita fuerunt percipere, quae absurdum es-

„ esset nunc in quaestionem vocare . . . . etc. „ An non pacis perturbator merito existimetur, qui jurisprudentiam hâc aequitate constitutam commovere nunc nitatur?

POSITIO XXXII.

„ Concordata, utpote vim pacti habentia, religiose utrin-„ que servanda sunt. „

ANIMADVERS.

MUlta, quae pertinent ad Concordata Germanica brevi narratione complectitur; nec omittit vias indicare, quibus obsisti possit, si quando *Papae Officiales* in ea peccarent. Nec tamen Canonem profert, quo in eas vias ingressus pateat. Sed plane Febronius trepidat timore, ubi non est timor. Summa Pontificum fides in servandis concordatis suo assensu firmatis non aliud postulat, quam ut aequa illis fides rependatur.

Pergit porro: „ Sed quid, si in interpretatione verborum, aut sensûs Concordati a Rotâ Romanâ dissentiat Consilium Impe-„ riale Aulicum, ad quod ab illius interpretativâ decisione sum-„ tus fuerit recursus? Faciam, *inquit*, hîc mea, quae Carolus „ Josephus Embdem Kirnensis in Diatribâ inaugurali de Concor-„ datis Germaniae an. 1780. proposuit. „

Summa haec est: „ Non recognoscunt Germani *Papae soli* „ interpretationem authenticam. Attribuunt autem *sibi solis*, non „ tantum *Magistralem*, sed etiam *Judicialem* mandatis adeo co-„ ërcitivis vindicandam adversûs eos, qui alibi petunt interpre-„ tationem istam. „ Non quaero, quo Canone nitatur doctrina, quae Concordatorum, in quibus de rebus Ecclesiasticis plerumque agitur, interpretationem et *Magistralem*, *et Judicialem* totam illius partis, quam Secularem verba innuunt, potestati subjicit; quae doctrina digna non videtur, quam Episcopus faciat suam. Hoc unum vix praeteriri potest, nimium adhuc pristini moris retinentem videri Febronium: Quidquid ubicumque est, quod minus favere videatur auctoritati Pontificis, in eo colligendo non sinit, diligentiam desiderari suam.

PO-

POSITIO XXXIII.

„ Annatae retinendae, usque dum Romanae Curiae neces-
„ sitatibus aliunde provisum fuerit. „

ANIMADVERS.

DEest in Positione Clausula de Apostolici *Judicii* interventu, quae in Retractatione habetur; quin et ipsa subjuncta explanatio ad removendam ejus judicii, et consensûs necessitatem spectare, aliquâ ex parte videri potest.

Paucis memorat, quae in Basileensi Concilio de Annatis tractata sunt, quas tamen subsequutum Concordatum Germanicum retinuit..

Repetit memoriam quaestionis, quae a nonnullis olim excitata est, an non istae Annatae vitio aliquo Simoniae laboraverint. Frustra omnino, quippe et ipse Febronius agnoscit, quod apud omnes exploratissimum est, nullam haerere in hoc subsidii titulo suspicionis ejusmodi labem.

Hoc ipsum insuper confirmat auctoritate Petri de Alliaco, quae extat *apud Thomassinum p. 3. l. 2. c. 58. num. 9.*, depromtâ ex tractatu de auctoritate Ecclesiae, ubi Alliacensis expresse docet, temerarium fore, ac non ferendum notare generaliter de Simoniacâ pravitate Statum illum, quo Summus Pontifex recipit, et quaerit subventiones consuetas in oblationibus, Decimis, Annatis, et similibus.

Quod si hoc loco Thomassinum sub oculis habuit Febronius, minime par erat praeterire, quod paullo superius ex eodem Alliacensi refertur ad earum subventionum aequitatem probandam; minus vero quod paullo inferius adstruitur de necessitate Pontificii consensûs ad quamcumque in eas mutationem inducendam. Hanc enim decernit Alliacensis, fieri non posse nisi ex *ordinatione Papae*, *et Concilii Generalis*. Quo satis ostendit, nec in Concilii Generalis potestate id positum esse, nisi Papae accesserit auctoritas; additque idem, „ facientes contra praemissa non con-
„ formant se, sed manifeste obviant Institutionibus Regis Fran-
„ ciae, Ecclesiae Gallicanae, et Universitatis Parisiensis, sicut
„ patet eas intuentibus. „

T Et

Et meritò quidem Ordinatio Papae requiritur; Nam, ut ante *Posit.*30. Statutum ab Hotmanno vidimus, quem laudat Febronius, quum superioris auctoritatis praestantiae possessio adjungitur, Titulus exurgit ejusmodi, quem jura omnia vetant, ullo pacto violari.

Sed insuper ad confirmandum jus Pontificium jam ab Alliacensi vindicatum valere quoque possunt, quae in rem eamdem observat Thomassinus de antiquo more, quo ab Episcopis, et Abbatibus longo ante tempore, quam a Romanis Pontificibus Annatae exigebantur; quamque vetustae essent Annatae, quas Ecclesiae Gallicanae aliae aliis pendebant: Unde sic disserit *c.* 58. *n.*7. „ Ecquî caeterae Ecclesiae jam olim potuerant ad Fabricas „ Templorum, vel ad alios usus seponere Annatas Beneficiorum? „ Ecquî potuerat hic usus statutis, consuetudine, privilegiis, et „ praescriptione confirmari; denique iis Decretalibus, quae ve„ luti micantissimae sunt juris Canonici hodierni faces: nec po„ tuerit Ecclesia Romana pari jure uti, et consimilem facere „ fructuum reservationem ad explicandas gravissimas temporum „ angustias, et difficultates? An Fabricae, et reparationis Tem„ plorum particularium majora sunt momenta, quam defensio„ nis Romanae Ecclesiae, in quâ Principatus residet Apostolicae „ Cathedrae?

Et *n.*8. „ Nemini non exploratum est, quam abhorreret „ Gersonius ab adulatione, ubi Romanae Curiae res ageretur. „ Et fatetur ille tamen in hoc opusculo (de Simoniâ), ut Levitae „ veteris Testamenti quum Decimas ipsi a Laicis acciperent, „ ipsos vicissim Decimarum harum Decimas exsolvisse Aaronico „ Summo Pontifici, ita simillimo quodam munere a Praelatis „ inferioribus colendum esse Romanum Pontificem, idque con„ venienter per Annatas perfici. „.

Adjungatur auctoritas Sorbonici *Tournelii de Loc. Theol. de Concil. Basileen.*, cujus haec verba sunt. „ Respondeo cùm Illmo „ De Marcâ, Natali Alexandro, Fagnano Juris Pontificii peritis„ simo, Fevret, et aliis, Annatas solvere pium esse; exigere „ nec Simoniacum, nec injustum. Responsio haec est contra „ Molinaeum, Launojum ec. „ Quod responsum, posteaquam Conciliorum Viennensis, et Constantiensis auctoritate, ac nonnullis Apostolicis Constitutionibus communivit, hoc insuper argu-

gu-

gumento confirmat : „ Omnibus curam Animarum habentibus „ pie solvuntur Decimae . Porro Romanus Pontifex jure Divino „ constitutus est Pastor omnium Fidelium , et omnium Ecclesia- „ rum curam gerere debet . Ergo Annatas absque ullo vitio reci- „ pere potest , easque pie , ac rationabiliter conferunt Praesules „ designati . „

Non omittit etiam Febronius memoriam renovare querelarum , quas Annatae , vel Annatarum Taxae nonnunquam excitarunt . Speciatim Positione antecedenti *p.*204. appellationem commemorat a Diethero Archiepiscopo Moguntino Ann.1451 . eâ de caussâ interpositam .

At judicium omittit latum a Thomassino *c.*59. *n.*10. de Archiepiscopo illo , quem ait , poenituisse tandem , sed serô, *inconsideratissimae suae pertinaciae* .

Omittit , quae ab eodem *Thomassino n.*8. , *et* 9. referuntur responsa Æneae Sylvii ad querelas Jurisconsulti Martini Meyri . „ Ex quibus , *inquit Thomassinus* , aptissime ab Æneâ conclu- „ ditur , non Curiae Romanae exactionibus, sed suis ipsorum am- „ bitiosissimis expensis Germaniae Praesules exhauriri . „ Quod quidem Ego dictum velim , et intellectum de eorum temporum Praesulibus ad Successores minime referendum .

Omittit , quod *n.*12. idem Scriptor affert de querelis nonnullorum Procerum eorumdem temporum , qui *militari magis fiduciâ* , *quam accuratâ rerum peritiâ perorabant* : Ubi etiam digitum intendit in fontem , unde illae potissimum querelae manabant : „ Suum , *inquit* , tunc virus quâquâ versum spargebat Novella „ haeresis , hominumque facile mentes a Pontificis studio aliena- „ bat , et in has agebat intemperias . „ Sed de Annatis alio scripto paullo latiûs egimus .

POSITIO XXXIV.

„ Exemtio Regularium a Seculari Potestate , aut ab unâ „ particulari Synodo non valet abrogari . „

ANIMADVERS.

QUod initio explanationis Febronius commemorat de multis olim excitatis adversûs exemtionum abusus querimoniis ,

magnâ ex parte depromtum videtur ex *Natali Alexandro Dissert.12. in Saecul.XVI. de Syn. Trid. art.16. n.41.*, adeo verba verbis respondent. At silet, quae ipso eodem loco verbis proxime antecedentibus affert *Natalis* ad asserendam Pontifici potestatem Regulares eximendi. Censet ille quidem, Episcopos jurisdictionem in Dioeceses suas, et Subditos a Christo immediate accipere: Attamen *Dioecesum*, inquit, *Divisio, Subditorumque Designatio a Romano Pontifice pendet, qui et justis de caussis immunitates, ac privilegia Ecclesiis, vel Monasteriis concedere potest, quibus ab Ordinarii jurisdictione solvantur, et eximantur*.

Silet etiam, quod refert idem Natalis art.95. n.2. his verbis: „ Lotharingus Cardinalis Regulares in Synodo laudibus extulit „ testatus, tria Regularium millia in Galliâ paucorum mensium „ spatio crudele Martyrium passos fuisse, quod obedientiam Ro„ mano Pontifici debitam abjurare noluissent..... Quâpropter „ uti caeterorum Clericorum immunitatem ab Episcopis plurimûm improbabat, ita Regularium privilegia illaesa perstarent, „ Patres hortabatur. „ Nec vero ista Regularium Institutorum ab amplissimo Cardinali suscepta laudatio mira cuiquam videri debebit, qui recogitaverit, quam multa in eorum commendationem scripsere Athanasius, Basilius, Chrisostomus, alii Patres, praeclarissimique Praesules, qui omni aetate Sanctitatis, ac doctrinae laude maxime floruerunt.

Nec mirum proinde, vel a primis Saeculis Sanctissimos Antistites Monasteriorum conservationi, et incremento per immunitatum privilegia consultum voluisse, eaque adversûs obtrectantium calumnias severis identidem Decretis vindicasse, quod paullo latiûs explicandum est, quoad fert praesentis instituti ratio: quippe notum est, hâc maxime de caussâ Regularium immunitates apud permultos invidiâ laborare, quod eas existiment velut novum quoddam inventum a Pontificibus auctoritatis suae amplificandae studio in Ecclesiam invectum, veteribus incognitum, a primaevae disciplinae formâ prorsus alienum.

Insigne immunitatis documentum inter alia suppeditat *Synodus Carthaginensis sub Bonifacio an. 525. apud Labb.*, de quâ pauca referam ex *Natali Alexandro Hist. Eccles. Sec. VI. c. 5. art.10.* „ Petrus Abbas cum Senioribus Monasterii sui libellum sup-

„ supplicem porrexit Bonifacio Carthaginensi, et Synodo pro „ Monasterii sui libertate. Scilicet Liberatus Episcopus primae „ Sedis Provinciae Byzacenae Monasterium illud Sedi suae subjicere volebat, utpote in suâ Provinciâ constitutum, et Monachos sibi parere renuentes excommunicaverat. Contestati sunt „ illi, se subditos esse Carthaginensi Episcopo totius Africae „ Primati; ..... liberum sibi fuisse, cui vellent Episcopo Coenobium subjicere suum, quod suis, Parentumque suorum sumtibus fundatum erat, et in quod ex diversis locis Africae, vel „ Transmarinis congregati fuerant; ... plurima esse Monasteria „ in Africâ, quae illi non suberant Episcopo, in cujus Dioecesi „ constructa erant .... Protulerunt iidem Monachi vetera quaedam ad probandam Monasteriorum libertatem monumenta, „ scilicet fragmentum ex libris S. Augustini de moribus Clericorum .... Secundò Decretum Synodi Arelatensis ..... „ Tertiò Vetus privilegium a Bonifacio Provinciae Byzacenae Seniore concessum .. ... Ad litteras proinde Liberati respondit „ Bonifacius, privilegia tot Episcoporum auctoritate firmata rescindi non debere veterum Canonum servandorum specie. *Neque enim*, inquit, *poterimus statuta mutare, quae per tot Sacerdotes instinctu Divino servata noscuntur* .... Istud tandem „ a Synodo editum est Decretum: *Erunt igitur omnia omnino „ Monasteria, sicut semper fuerunt, a conditione Clericorum „ modis omnibus libera, sibi tantum, et Deo placentia*. „ Alia *cap.6. art. de Monachis n.6.* congerit *Natalis* immunitatum documenta ex antiquitate petita.

Pariter de Monasteriis per varias Africae Dioeceses sparsis, quae Carthaginensi Antistiti suberant, disserit *Thomassinus p.1. l.3. c.31. n.15.*, qui etiam negat, inficiari se posse, „ quin Saeculo jam septimo essent in Patriarchatu Constantinopolitano „ bene multa Coenobia ab Episcoporum Dioecesanorum spiritali „ jurisdictione prorsûs absoluta, et uni immediate subjecta Patriarchae Constantinopolitano, et Exarcho Patriarchali, „ quem ille ad omnium Monasteriorum administrationem delegabat. „

Nec diffitetur Thomassinus, ex antiquissimis Ecclesiasticae Historiae monumentis constare, Alexandrinorum, Antiochenorum, et Hierosolymitanorum Patriarcharum curam, et administra-

stra-

strationem in omnia eorum Patriarchatûs Monasteria propagatam fuisse.

Non ergo a vetere more, et instituto abhorrebat, quod Monasteria jurisdictioni subtraherentur Episcopi ejus Dioecesis, in quâ sita erant, et superiori vel Primatis, vel Patriarchae auctoritati subderentur. Quod si tali jure Patriarchae, ac Primates potiti sunt, ut jurisdictionem sibi assumerent, ac reservarent in Monachos, quâcumque in Dioecesi sibi subjectâ degerent, nemo Catholice sentiens dubitaverit, quin multo potiori ratione id juris Romano Pontifici competere debeat, a quo pro eminenti potestate in Patriarchas omnes, et Primates a Christo sibi traditâ pendet (ut verbis utar Natalis Alexandri) *et Dioecesum Divisio*, *et Subditorum Assignatio*.

Minûs vero de hoc jure Catholicus quisque dubitaverit, posteaquam Tridentini Decretis *firmata est generalis Ecclesiae disciplina circa exemtionem Regularium in casibus* non exceptis, ut ait *Febronius p.*218.

Hâc porro regulâ primo loco utitur Febronius, et recte quidem, velut aptissimo argumento, quo probet, quod ab ipso statuitur in hujusce suae Positionis secundâ parte, non posse ab ullâ particulari Synodo exemtiones Regularium aboleri: Quod scilicet *Ecclesiae disciplinam universaliter receptam Episcopus in suâ Dioecesi evertere haud valet*; *idemque est de particularibus Synodis*. Quam in rem obtinere insuper ait, „ quod prudenter monuit Auctor libri: *Justification des Discours*, *et de l'Histoire Ecclésiastique de M. Fleury tom.* 1. *part.* 3. §. 1., Scilicet: „ Postquam pedetentim caput aliquod disciplinae mutatum est, „ si accedat Decretum Concilii Generalis, vel Romani Pontificis „ cum consensu Coetûs Pastorum ad approbationem novae disciplinae, tutô pronuntiandum est, novum hoc caput, etsi veteri mori contrarium, non esse contra Fidem, aut contra bonos mores; adeoque illud non esse inter abusus numerandum, „ quoniam nunquam id Ecclesia confirmat, quod sit aut Fidei, „ aut bonis moribus adversum. „ Quidquid sit de peculiaribus Scriptoris hujus opinionibus, quas hoc loco discutiendas non sumimus, saltem id ex ejus sententiâ, adeoque ex eorum ore, qui minime Regularibus favent, plane constat, multo minus inter abusus recenseri posse Regularium exemtionem, quae quum omni

omni auctoritate Ecclesiae munita est, tum nec veteri mori contraria, immo priscis institutis omnino consentanea comprobatur.

Progreditur deinde Febronius, seu redit ad primam suae Positionis partem de Seculari Potestate, a quâ pariter negat, abrogari posse Regularium exemtiones. Sed in hujus partis explanatione forte quis desideraverit, ut ea prudentiae species, quam prae se fert, non abesset a simplicitate Columbae. „ Sed et Re„ ges, *inquit*, ac Principes, dum agunt, *quâ Tutores*, *ac De„ fensores Canonum*, *atque Ecclesiasticae disciplinae Vindices*, „ (hoc enim ad eorum auctoritatem, jus, et officium pertinet. „ *Vid. Natal. Alex. Dissert.* 21. *in Saecul. IV.*), huic discipli„ nae, quam Tridentinum agnovit, quaeque per omnes Eccle„ sias recepta est, adversari haud poterunt, sed eam potius se„ qui; et, nisi legitima caussa obstet, eamdem sustinere debe„ bunt. Hoc sensu *Illm̃us De Marca in Prolegomenis lib. de „ Concord. p.* 57. *,* Tuitio, *inquit*, Ecclesiae Regibus commissa „ est, ut Edictis suis Decretorum, et Canonum promulgatorum „ exequutionem urgeant, non autem ut arbitratu suo leges con„ dant in iis, quae Fidem, aut Ecclesiasticam Disciplinam re„ spiciunt „.

Satis aperta, nec interpretationis indigens videtur Petri De Marca sententia, si quis eam, ut jacet, simplici oculo inspexerit; nimirum ex hâc id unum elicitur, Regibus convenire in his, quae Fidem, et Ecclesiasticam Disciplinam respiciunt, ut Edictis suis Decretorum, et Canonum promulgatorum exequutionem urgeant; idque pro eâ tuitione, quae pietati eorum commendata est, quos ut *Catholicos Deus Sanctae Fidei*, *Ecclesiaeque Protectores esse voluit*. Neque alia mens fuit *Natalis Alexandri laudatâ Dissertatione*, ut ex Scholio praesertim manifeste patet.

At reconditius aliqnid fuit a Febronio excogitatum. Pergit quippe in hunc modum. „ Dixi, a Principibus, quâ Defensoribus „ Canonum, et Vindicibus Disciplinae, Regularium exemtio„ nes abrogari haud posse . . . . Alia est quaestio, quid valeant „ jure Majestatico, et quâ *Domini Territoriales* in Monasteria, „ et Monachos? „

Ad hanc explicandam potestatem nonnulla circa Monachos cum aliquâ distinctione praemittit. Primô de Monachis disserit, „ dum turbant pacem publicam, seditiones excitant, subdito-

„ rum

„ rum animos ad partium studia, odia, et inimicitias inflam-
„ mant; dissidia adversùs proprios Ordinarios movent; Institu-
„ tum, propter quod in Rempublicam, seu Statum admissi sunt,
„ relaxant; Mandatis Principum se refractarios exhibent; do-
„ mesticis odiis, atque rixis se proscindunt, atque ita publico
„ scandalo sunt etc. „ . . . Tum ait Febronius, „ non esse du-
„ bium, quin Principes in Monachos, tamquam in perversos
„ subditos saevire, aut aliâ ratione felicitati Statûs adversos, ac
„ noxios e suo Territorio ejicere valeant „.

At fere evenire non solet, Monachos eâ furere insaniâ, ut Pestem Patriae moliantur, ac veluti publici, nefariique Hostes, ac Perduelles haberi debeant. Hinc descendit Febronius in aliud distinctionis caput, nimirum: „ Quod si in casibus non adeo
„ gravibus, aut certis de caussis Principi visum fuerit mitiora
„ capere consilia; proinde Monasteria hujus, vel illius loci, Di-
„ strictûs, seu Ordinis, non quidem penitus extinguere; atta-
„ men ille de solidâ Monachorum correctione post serias moni-
„ tiones, atque mandata per Superiores Regulares obtinendâ
„ experientiâ doctus desperet, non video, *inquit*, cur, *quâ*
„ *Tutor Regni* non possit ejusmodi Superioribus Regimen Mona-
„ steriorum sui Regni, retento eorum Instituto, ad tempus in-
„ terdicere, aut etiam illos pro re natâ in perpetuum excludere,
„ praesertim Exteros, quorum secreti influxus, ... necnon
„ arcti nexus . . . . sub uno saepe Extraneo Supremo Capite . . . .
„ non semper indifferentes sunt. Quo facto, nisi de Principis
„ consensu aliter dispositum fuerit, Regimen illud ad Ordina-
„ rium Dioecesanorum in Ecclesiasticis Superiorem redibit, Epi-
„ scopum videlicet, qui singulos Monachorum Coetus . . . . pro
„ bono statûs, et Ecclesiae noverit continere „.

Nonnulla hîc notanda. 1. recolendum, Regularium exemtionem haberi, proponique a Febronio tamquam caput disciplinae a Tridentino firmatae, atque universali Ecclesiae usu receptae, quae proinde inter abusus numerari nequeat fatente ipsomet Fleurii vindice.

2. Quum reverâ Princeps, seu Magistratus Laicus duplicem Personam sustineat, *quâ Tutor Ecclesiae*, et *quâ Tutor Regni*, visum est Febronio utriusque tutelae jura peculiari quâdam ratione dispescere.

3. Fa-

3. Fatetur, immo asserit, Petrique De Marca auctoritate confirmat, Principi, quâ Tutor est, et Defensor Canonum, fas non esse, disciplinae, quam Tridentinum agnoverit, quaeque per omnes Ecclesias recepta sit, qualis ab eo agnoscitur immunitas Regularium, adversari.

4. Aliam esse quaestionem, quid in hisce rebus Princeps valeat jure Majestatis; aitque, se non videre, cur, quâ Regni Tutor, non valeat aliter statuere de hoc ipso capite disciplinae, quam tamen agnoscit a Tridentino firmatam, et universali Ecclesiae usu receptam? Quo videtur Febronius non solum utriusque tutelae jura distinguere, sed et aliquo pacto unum alteri opponere, quasi quod Principi non liceat, quâ Tutor Ecclesiae est a Deo constitutus, idipsum, quâ Tutor Regni, licitum sibi facere jure Majestatis valeat.

Atque hoc quidem loco nobis constitutum est non aliud Febronii obtutibus monumentum subjicere, quam quod ipsum sane non pigebit intueri; Id nimirum, quod a Viro non minus eruditione, quam dignitate praestanti litteris mandatum est *in Prodromo Hist. Treviren. p. 138.*, ubi doctrinam, et disciplinam illustris ejus Ecclesiae sub Romanis exponendam aggreditur. „ Postquam, *inquit Myriophitanus Episcopus*, Trevirensem „ Ecclesiam, ut cum S. Athanasio loquar, vidimus *Apostolico-* „ *rum Virorum* ingeniis fundatam, item *Sanctam*, atque cum „ Catholicâ Ecclesiâ *unam*, et consentaneam, *miraculis illu-* „ *strem*, cum Romanâ Apostolicâ Sede *conjunctam*, in Galliâ „ *primam*, in Belgicâ *Matrem*, *et Magistram*, nunc porro di- „ spiciendum, quae ejusdem in particularibus doctrinae, et di- „ sciplinae articulis fuerit *credendi*, *et agendi* ratio. Ubi in pri- „ mis quidem illud firmum tenuit, de rebus fidei judicium, et „ Imperium non esse penes Principes Saeculares, sed penes Epi- „ scopos, et Concilia, seu Ecclesiam ipsam „.

Posteaquam id late persequutus est, de causis Ecclesiasticis generatim hanc D. Martini sententiam proponit: „ Idem Thema „ Treviris coram Maximo egregie Sanctus Martinus sustinuit Te- „ ste *Sulpitio Severo Hist. Sacr. l. 11. c. 63.*, ubi: Sanctus Mar- „ tinus, *inquit*, non desinebat increpare Ithacium, . . . novum „ esse, et inauditum, ut causam Ecclesiae Judex Saeculi judi- „ caret etc. Nec aliter *S. Nicetius in Epist. ad Justinianum* „.

Tum subjungit Episcopus Myriophitanus: „ sicut de articulis Fidei judicium penes Ecclesiae Patres esse dignoscitur, „ ita et in materiâ disciplinae jus statuendi, et Canones conden- „ di. Dilucide id expressit Mappinius Rhemensis Episcopus in „ Epistolâ ad mox memoratum Nicetium nostrum. „

Eamdem subinde perstitisse Trevirensis Ecclesiae mentem, ac sententiam, satis innuit *Myriophitanus* agens de Disciplinâ, et Doctrinâ ejusdem Ecclesiae sub Francis, ubi inter alia multa haec habet *p. 329.* „ Congregati in Synodis Episcopi condebant „ Canones auctoritate, et jure suo; Manutentionem, et exe- „ quendi facilitatem obtinebant ab accedente auctoritate Regis „ servatis utriusque Potestatis limitibus, quos an. 870. in Trevi- „ rensi causâ egregie notarunt Episcopi Galliae apud Flodoardum „ *Hist. Rhemen. l. 3. c. 20.* „.

Appellat hîc Myriophitanus notatos ab Episcopis Galliae limites apud Flodoardum, quo loco non potuit ille non animadvertere, quam longe absit Episcopalis gravitas Praesulum Galliae ab aulicâ levitate Febronii. Ægre tulerat Ludovicus Germanicus, Bertulfum ab iis Praesulibus praeter sui voluntatem Sedis Trevirensis Metropolitanum Pontificem ordinatum fuisse. Ordinationem ex praescripto Canonum factam esse, nec quicquam in eâ peccatum contra fidelitatem Regi debitam, probare ingreditur Hincmarus Rhemensis unâ cum Remigio Lugdunensi, Arduico Vesontionensi, Erardo Turonensi, Adone Viennensi, Egilone Senonensi „ ostendens, *ut scribit Flodoardus*, quia licet Rega- „ lis Potestas praesideat humano Generi dignitate rerum, Prae- „ sulibus tamen Divinarum devote colla submittit, atque ab eis „ caussas suae salutis expetit; inque sumendis coelestibus Sacra- „ mentis, eisque, ut competit, disponendis, subdi se debere „ cognoscit Religionis ordine potius, quam praeesse. Itaque in- „ ter haec illorum se pendere judicio, non illos ad suam velle „ redigi voluntatem „. *Proinde*, inquit, „ *sicut non leve discri-* „ *men incumbit Pontificibus siluisse pro Divinitatis Cultu, quod* „ *congruit: ita Regiae Potestati, quod absit, non mediocre pe-* „ *riculum est, si, quum debeat parere, refugit, quod ei ex Divi-* „ *nâ voce a Sacerdotibus nuntiatur, Domino dicente in Evange-* „ *lio: Qui ex Deo est, Verba Dei audit* „. Perlegenda tota Epistola, quam si probe perpendet Febronius, intelliget, quantum

tum ex Episcopali robore ipsimet Regiae Potestati firmitatis accedere valeat.

In his porro causis quantum tribuerent Praesules illi gravissimi Sedis Apostolicae auctoritati, et judicio, demonstrat *idem Flodoardus* relatis *l. 3. c. 13.* Epistolis Hincmari ad Pontificem in causâ Rothadi Suessonici Episcopi, et ad Laudunensem Nepotem suum, quem sic alloquitur: „ Et quod te dicis audire „ obloqui de judicio Domni Papae Nicolai, si de me dicis, men- „ dacium dicis. Nam, quod ille de Rothado, sive de Vulfado „ judicavit, non contradixi; sed, sicut ipse praecepit, obe- „ dire curavi. „

Expressiùs etiam, ubi agitur de jurisprudentiâ Trevirorum sub Germanis, declarat Myriophitanus, quae, et quanta esset apud Treviros de Supremâ auctoritate Romani Pontificis existimatio, his verbis *p.* 520.: „ Ipse Egilbertus noster, utut perseque- „ retur Papam Gregorium VII., tamen memor Canonum scrip- „ sit Coepiscopis an. 1082., Ferre sententiam contra Apostoli- „ cum non est tutum, immo insanum, et omnino nefarium „ aliquid audere in illum, qui vice Sancti Petri fungitur legatio- „ ne ipsius Christi. „

Sic igitur Trevirensis Ecclesiae Traditionem nobis exhibet Myriophitanus, ut primâ illâ vetustâ aetate, quâ et Sanctitatis, et Miraculorum gloria maxime claruit, constanter teneret, in materiâ disciplinae non secus, atque in materiâ fidei statuendi, ac decernendi potestatem omnem penes Ecclesiam esse. Nunc recogitet Febronius, num Sanctissimi Praesules illi ludere sic voluerint, ut quod sine ullâ distinctione Saeculari Potestati constanter negarent, id quidem fieri non posse, dicerent, si Magistratus induat Personam Tutoris Canonum; at fieri posse, modo tuitionem Regni explicare se velle, profiteatur?

5. Innuere videtur Febronius, justam Saeculari Potestati pro re natâ subesse caussam, cur pati nolit, exteros Praepositos quidquam juris in subjecta Monasteria exercere, quod nimirum Monachorum arcti nexus cum aliis ejusdem Instituti coetibus sub uno extraneo Capite Regno, ejusque Statui non semper indifferentes sunt. Quo loco quaeri ex eo potest, an non putet, idem dici posse de Dioecesanis unius Ditionis, qui subsunt Episcopo in aliâ Ditione degenti? An non idem dici potuerit ab ipso

Christianae Religionis initio de Fidelibus per totum Orbem dissitis, quos tamen ad Apostolos, eorumque Successores, maxime vero ad eam Sedem, quae, Teste Irenaeo, potiori gaudet principalitate, convenire oportebat, semperque oportuit? Num propterea existimet, licere Saeculari Potestati Episcopo jurisdictionem suam interdicere in Oppida suae Dioecesis alteri Ditioni subjecta, suoque jure efficere, ut haec jurisdictio in alios sive Antistites, sive Sacerdotes commigrare valeat? Sed an Ecclesiastica munia, et jura Saeculari Potestati subjiciantur hâc unâ de caussâ, quod haberi possint velut non plane Reipublicae indifferentia, paucis eâ de re discutienda rursum occurret Febronii mens, et sententia.

6. Non potest Vir Canonicae disciplinae peritus perspectam non habere Solemnis Voti Sanctitatem, quâ obstricti tenentur quicumque Regulare Institutum professi fuerint; neque adeo ignorat Febronius, quod nemine prorsus dissentiente tradit *Natalis Alexander Theol. Dogm.*, *et Mor. l.* 4. *art.* 12. *Reg.* 14., *Votum Solemne Religionis positum esse in Professione Regulae a Sede Apostolicâ approbatae*, quâ in Professione vovetur Obedientia juxta praescriptum Regulae praestanda. Praescripto porro Regulae Praepositis obedientia debetur, eique in primis, qui praeest universo Instituto, cui se Regularis addixit, cuique interpositâ Voti Religione obedientiam spopondit. Propterea constans hactenus viguit haec inter Doctores sententia, non posse Regularem sine veniâ canonice impetratâ obedientiam debitam illi Praeposito detrectare, seu renunciare, quin violati Voti reus evadat: et quum agatur de Institutis a Sanctâ Sede approbatis, constans ex aequo sententia est universali disciplinae consentanea, Canonicam hanc veniam nonnisi a Summo Pontifice haberi posse.

7. Factâ, ut superius inquit, Regularium a suo Capite discessione, quasi haec sine Pontificiae auctoritatis interventu legitima esse posset, censet Febronius separati cujusque Coetus Regimen ad Episcopum redire. Quâ in re haud satis videtur sive cum propriis effatis, sive cum Canonicis Institutis convenire. Fatetur ille, potestatem jurisdictionis in Episcopis quoad usum per Canones arctari posse; nec diffiteri potest, quin disciplina per Concilium Generale firmata, et universali Ecclesiae usu recepta

cepta inter Canonica Instituta merito sit referenda. Agnoscit insuper, ad id genus Institutorum Regularium exemtionem pertinere. Si ergo ex unâ parte Canonicis universalis Ecclesiae Institutis obstringuntur etiam Episcopi; Si per Canonicum hujusmodi Institutum arctata est eorum jurisdictio in exemtos, sequitur, ut, quae Canonicâ auctoritate ligata est, aut ademta Potestas, nonnisi Canonicâ auctoritate restitui, aut solvi queat.

Praeterea, tametsi Febronio magis placeat Episcoporum jurisdictionis potestatem a Deo immediate repetere, adhuc fatetur, quod ipsum per se perspicuum est, portionem Gregis, quamquisque regat, non Divino, sed Ecclesiastico Jure cuique obtigisse, ut proinde meritò dixerit supra laudatus Natalis Alexander, qui etiam immediate Deo acceptam refert Episcopalem Auctoritatem, a Supremo Ecclesiae Capite pendere et *Dioecesum divisionem, et Subditorum assignationem*. Hinc et olim obtinuit, et nunc obtinere videmus, ut novae Sedes Episcopales erigantur in Oppidis, quae ad aliam ante Dioecesim pertinebant. Ergo Pontifex potest uni Episcopo Subditos detrahere, et alteri assignare; secus dicendum foret, plurimos, qui nunc sunt in Ecclesiâ, Episcopos legitimâ auctoritate carere. Peractâ hoc pacto divisione nemo dixerit, hanc priori Episcopo facultatem manere, ut Jurisdictionem, quam in portionem Pontificiâ auctoritate avulsam antea exercebat, eam iterum sine Pontificiâ auctoritate sumere sibi valeat. Ergo etiam multo minus in exemtos, qui, quâ parte sunt exemti, nunquám fuere subditi. Quippe notum est, Regulares Coetus, dum in varias, ac dissitas Dioeceses commigrarunt, ab eisdemque recepti, et ut plurimûm vocati, suam secum, quâ legitime donati erant, exemtionem intulisse, atque ut exemtos receptos, habitosque fuisse, prout jam olim in Africanâ, et Orientali Ecclesiâ usuvenisse superiûs a Thomassino accepimus.

Demum quod hoc pacto futurum auguratur, ut melius in ordine, et officio Regulares contineantur, haud scio, an satis cohaereat cum his, quae ante ex Barthelio ipsemet protulit; quae si aliquo modo constant, potius metuenda foret regularis disciplinae non levis perturbatio, si singulis in Dioecesibus interior cujusvis Monastici Coetûs moderatio Episcopi cujusque judicio, et arbitrio permitteretur.

PO-

POSITIO XXXV.

„ Exemtionum abusibus per Concilium Tridentinum occur-
„ sum, et provisum est. „

ANIMADVERS.

SI Johanni Launojo credimus, inquit Febronius, *Episcopis per Concilium Tridentinum tantum non omnia eorum in Regulares jura restituta sunt*. Nec abstinet a describendâ satis longâ pagellâ, quâ Scriptor ille, non parum suspectae doctrinae, infensum suum in Regulares animum ultrò patefacit. Sic porro ille *Op. tom. 3. p. 2. pag.436.* : „ Dixi, Tridentinam Synodum ad „ Decretorum Zosimi, et Bonifacii, et praeceptorum Stephani, „ Nicolai, et Gelasii normam statuisse, ut *Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegati*, Monasteria quaelibet exemta „ visitarent, et corrigerent; idest utramque auctoritatem, et suam, et Romani Pontificis ad tam pium, et necessarium opus „ assumerent. Itaque, dum Tridentina Synodus formulâ illâ „ utitur, idem est, ac si unicuique Episcopo diceret: Monasteria visita, Monasteriorum mores corruptos emenda; si quid „ in iis auctoritati tuae deesse putas, Romanus Pontifex supplere intelligitur; obsiste vitiis Monasteriorum, obsiste Monachorum superbiae, et arrogantiae . . . . . Quum Tridentina „ Synodus ita loquitur, nec de veteri Episcoporum jure quidquam detrahit, nec Romano Pontifici quidquam addit, etiamsi „ Verborum complexio apud antiquos minus usitata videatur. „

Si, dum haec scriberet Launojus, Synodum Tridentinam prae oculis habuit, difficile est non suspicari, quin de industriâ fucum facere voluerit. Affirmat, universe, et indistincte a Tridentinâ Synodo statutum fuisse, ut Episcopi *etiam* tamquam Sedis Apostolicae Delegati Monasteria quaelibet exemta visitarent, et corrigerent, ex quo sibi viam parare visus est ad inferendum, posse id igitur Episcopos *etiam* auctoritate propriâ, adeoque habendam esse Delegationem Apostolicam, velut merum additum, nec ad aliud opportunum, quam ad sedandas meticulosorum Antistitum anxietates, qui minus id sibi licere, putarent. At

At primô, ut pateat Launoji sive error, sive dolus, notandum, particulam hanc *etiam*, quâ tota ejus argumentatio nititur, reperiri quidem in formulâ, quâ *Tridentinum* utitur *Sess.21. c.8.*, sed ibi non loquitur universe, et indistincte de *Monasteriis quibusvis exemtis*, ut falso innuit *Launojus*, verum de Monasteriis commendatis, in quibus non viget Regularis Observantia, nec non de Beneficiis commendatis tam Curatis, quam non Curatis, Secularibus, et Regularibus, ac de his, in quibus, etsi vigeret Regularis Observantia, tamen Superiores debite admoniti intra sex Menses Subditos visitare, vel corrigere negligerent. Aliis porro locis Delegata Potestas, quae conceditur, expresse distinguitur ab Ordinariâ, quae jure proprio Episcopis competit. Sic *Sess.25. c.5. de Regular.* Bonifacii VIII. Constitutionem, quae incipit: *Periculoso:* renovans Sancta Synodus universis Episcopis sub obtestatione Divini Judicii, et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus Monasteriis *sibi subjectis Ordinariâ*; in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate Clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et, ubi inviolata est, conservari maxime procurent. Non potuit Tridentinum accuratiûs distinguere jurisdictionem ordinariam a Delegatâ. Primam expresse agnoscit in Episcopis quoad Monasteria eis subjecta; alteram concedit quoad Monasteria non subjecta. Quo loco, nisi dicere velimus, errasse Tridentinum, dum distinxit inter Monasteria subjecta, et non subjecta, evidens fit, in non subjecta nullam esse ordinariam Episcopi jurisdictionem, quâ parte sunt exemta, seu non subjecta, siquidem ordinaria jurisdictio nonnisi in subjectos explicare se potest.

Sic etiam eâdem *Ses.25. c.14.* Tridentinum decernit, a quo sit puniendus *Regularis non Subditus Episcopo*, qui degens intra Claustra extra ea notorie delinquit. Quomodo Regularis quisquam non Subditus Episcopo dici posset, si quoad interiorem disciplinam ordinariae illius jurisdictioni subjaceret? Pariter *c. 20.* decernitur de Superioribus Ordinum, qui non sunt Episcopis subjecti, et quibus est in alia inferiora Monasteria, Prioratusve legitima jurisdictio, ut haec suo loco, et ordine ex officio visitent, etiamsi commendata: Et quod probe notàndum, subjungit: *Quae quum Ordinum suorum Capitibus subsint, declarat Sancta Synodus, in iis, quae alias* (idest *Sess.21. c.8.*, ubi adjecta repe-

reperitur particula *etiam*) *de Visitatione Monasteriorum commendatorum definita sunt*, *non esse comprehensa*.

Demum hâc sanctione caput concluditur. ,, In caeteris omni-,, bus praefatorum Ordinum privilegia, et facultates, quae ,, ipsorum Personas, loca, et Jura concernunt, firma sint, et ,, illaesa. ,, Quid certius, quid expressius desiderari potest sive ad asserendas Regularium immunitates, sive ad explodenda Launojana Commenta?

Quin et eo ipso loco, quem more suo exponit Launojus, tamen dissimulare sibi non potuit, litteram Concilii Commentitiae suae interpretationi minûs convenire, cujus rei culpam homo minime timidus in Synodum ipsam conferre non dubitat, quae complexione verborum usa sit apud antiquos minus usitatâ, minûsque adeo aptâ germanum illum sensum referre, quem illi Antistites mente quidem conceptum tenebant, sed quod essent aut antiquitatis, aut verborum proprietatis minûs periti, quam Launojus, haud satis dilucide, accurateve extulerunt. Scilicet!

Sed quod minûs adhuc ferendum est, ubi se Launojus interpretem facit mentis Tridentini erga Monachos; Patresque suis verbis loquentes inducit, non veretur voces illis affingere plenas acerbitatis, et odii, furentis animi indices, Sanctissimorum Antistitum sapientiâ, gravitate, Religione plane indignas. Longe aliam eis mentem de toto Regularium Statu Divinus Spiritus infudit, cujus numine suis in condendis Decretis regebantur: dum eâdem *Sess.25. c.1.* testatum reliquerunt, *quantum ex Monasteriis pie institutis, et recte administratis in Ecclesiâ Dei splendoris, atque utilitatis oriatur*. Quin etiam ad refutanda Launoji convicia egregius nobis Adjutor accedit *Episcopus Myriophitanus in laudato Prodromo p.344.*, ubi *statum Monasticum* strenue vindicat *a praejudiciis, quibus laborant Protestantes, et libertini Catholici*.

Dignum propterea Febronio fuisset amplissimi Praesulis vestigiis insistere, et in refellendâ, quam protulit, Launoii oratione, aliquid operae insumere. Solummodo subjungit, *curatius esse*, *quod de hoc argumento reliquit* Barthelius: ,, Tridentinum, etsi attentâ temporum conditione non omnes exem-,, tiones penitûs tollendas, ac revocandas judicaverit, illas ,, tamen per varia Decreta, potissimum *Sess.25. de Regular.* evul-

„ evulgata, ad eos reduxisse limites, qui si exacte observaren-
„ tur, plerisque exemtionum incommodis occurrendi spes
„ foret. „

Sed licet moderatiûs, non tamen omnino accurate Tridentini consilium exponit Barthelius. Id sibi proposuerant Patres Tridentini, ut ea de Regularibus Decreta ederent, quibus Monasteriorum pia Institutio, rectaque administratio sarta, tectaque servaretur, vi cujus, prout fuit a Concilio statuta, plurimûm in Ecclesiâ splendoris, et utilitatis oriretur. Nec ignorabant, jam olim Sanctissimos Africae, et Galliarum Episcopos censuisse, ad rectam hujusmodi administrationem valde pertinere, ut Monasteria congruâ quâdam immunitate potirentur: Tantum abest, ut censuerint melioribus aliquando temporibus reservandam immunitatum abrogationem absolutam. Quocirca eo capite Tridentinum nullo facto temporum discrimine indefinite, et universe praecipit, ut in omnibus, de quibus aliter statutum non fuisset, firma, et illaesa manerent jura, et privilegia Regularium.

Incaute admodum propterea haec adducuntur a Febronio. „ *Gibert. Corp. Jur. Can. Tom.* 1. *p.* 160. pluribus deducit, quomo-
„ do nunc juribus Episcoporum in luce collocatis, quod a Conci-
„ lio Tridentino incohatum est, perfici, et omnis exemtio le-
„ gitimis modis abrogari valeat. „ Itane? Nunc tandem in lucem prodierunt jura Episcoporum; idque operâ, et studio Giberti, Febronii, aliorum hujus generis novitiorum in Ecclesiâ hominum? Latuerunt illa jura et Patres Tridentinos, et antiquiorum aetatum Sanctissimos Praesules Africae, et Galliarum? Quam parum commenta haec distare videntur a *praejudiciis*, quibus graviter monet Episcopus Myriophitanus, *laborare Protestantes*, *libertinosque Catholicos*! Quod si quis perlegerit, quae docte de immunitatum Disciplinâ disserit *Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. l.* 9. *c.* 15. probe intelliget, hanc Pontificum, Conciliorumque sapientiâ sic temperatam, et constitutam esse, ut per eam Regulares Episcopis prodesse saepe, nocere nunquam valeant. Nec tamen negaverim, ex Regularibus existere aliquando posse pervicacis ingenii homines, qui suae Professionis obliti; ejusque reverentiae, quam Episcopis praestare omni tempore debent, justas ipsis querelarum, et offensionum caussas praebeant;

At simul cautum est, quâ ratione istorum contumacia comprimi, frangique valeat. Aliunde est haec depravatae naturae conditio, ut, quae sunt ad salutem comparata, eis perversi homines abutantur ad perniciem; nec minûs propterea retinenda sunt salutaria instituta. Accidit quoquè interdum, ut et Capitula, et Parochi, et Sodalitates juribus suis, et privilegiis abutantur ad vexandos Episcopos: nec desunt in Historiâ Ecclesiasticâ monumenta, quae probent, aliquando etiam contigisse, ut ipsimet Episcopi sanctissimâ suâ auctoritate abuterentur. Num propterea et Parochorum, et Capitulorum, et Episcoporum delenda jura erunt, penitusque abolenda? Unum optandum, ut et Episcoporum, et Regularium mentibus alte infixum maneat sapientissimum Leonis X. monitum in suâ Constitutione: *Dum intra:* promulgatâ in Concilio Lateranensi V. (*apud Natalem Alexandrum.*) „ Novimus, „ Episcopos ipsos in partem sollicitudinis Nostrae assumtos fuisse, quorum honor, et sublimitas Teste Ambrosio nullis potest comparationibus adaequari; Religiosos etiam in Agro Dominico pro Christianae Religionis defensione, et ampliatione complura fecisse, ac uberes fructus protulisse, et in dies singulos proferre ita, ut eorumdem Episcoporum, ac Religiosorum bonis operibus Orthodoxam Fidem incrementa sumsisse, et per Orbem Terrarum undique dilatatam, Fidelium nullus ignoret...... Ita quoque par est, eos inter se nostris provisionibus pacis vinculo, ac fraternâ charitate, et unitate conjungi, ut eorum concordi doctrinâ, et mutuis operibus uberiores in Ecclesiâ Dei fructus proveniant. „.

Hactenus de primâ explanationis parte, quâ Febronius sumtâ veluti alterâ personâ Launojum, Barthelium, Gibertum audiri, voluit. Altera pars eo spectat, ut memoratis Tridentini Decretis non tam nova Episcopis potestas concessa, quam vetus, et avita auctoritas restituta intelligatur. Ex quo inferri vult, *delegatam illam a Tridentinâ Synodo, aliisque Pontificum Constitutionibus jurisdictionem aequivalere jurisdictioni ordinariae.*

Verum 1. Tridentinum utramque potestatem sic expresse distinguit, ut nisi aperta vis Launoji more Decretis ejusdem inferatur, una confundi cum alterâ nequeat: constetque, adeo multa, quae ab Episcopo fieri possunt auctoritate delegatâ, minime subesse jurisdictioni ejus ordinariae. Quod nisi ita esset, dicendum foret

foret, Tridentinos Patres in utrâque potestate distinguendâ, et explicandâ improprie admodum loquutos esse; quod nemo facile dixerit, nisi si quis pudore omni abjecto sese Launoji audaciae volet adjungere.

2. Neque ad contrarium suadendum valet, quod a Febronio dicitur, Decretis Tridentini non tam novam concessam jurisdictionem fuisse, quam veterem restitutam. Saepe accidit, ut Oppida, et Oppidorum Incolae ab unâ Dioecesi Pontificiâ auctoritate sejungantur, et alteri Dioecesi adjiciantur. Tum vero si peractâ hujusmodi sejunctione priori Episcopo delegaretur potestas aliqua in Oppida sejuncta, et alteri Ordinario adjuncta, num propterea dicendum foret, delegatam illam potestatem aequivalere Ordinariae, et in ordinariam recidere hâc de caussâ, quod pristina potestas fuisset delegato Episcopo restituta? Porro sicut Pontificiâ auctoritate Oppida unius Dioecesis possunt ab eâ distrahi, prout saepe fit, et alteri assignari; sic eâdem auctoritate Monasteria sita in unâ Dioecesi non minûs, quam Oppida eximi possunt ab illius Episcopi jurisdictione, et alteri Ordinario subjici. Quod posteaquam rite perfectum est, ad normam universalis Disciplinae, si Episcopo illi accesserit delegata quaedam potestas in exemta Monasteria, non magis haec cum ordinariâ confundi poterit, aut in speciem ordinariae recidere, quam delegata potestas in Oppida sejuncta.

3. Nec universe locum habet, quod ille instar fundamenti assumit, Tridentini Decretis non tam novam concedi, quam veterem potestatem restitui. Nam, quum hîc agatur de jurisdictione in certa loca, Personasve, ut hoc Febronii assertum consisteret, oporteret, Monasteria, quae consequentibus temporibus per varias Dioeceses condita sunt, fuisse ab ipsâ fundatione Episcopis subjecta. Quippe non repugnat, aliqua loca, tametsi intra fines unius Dioecesis conclusa, minime tamen illius Episcopi auctoritati subesse.

Notum est, quod jam depromsimus *ex Thomassino p.* 1. *l.* 3. *c.* 31., multas olim fuisse per varias Africae Dioeceses sparsa Monasteria, quae non Dioecesum Ordinariis, sed uni Carthaginensi Primati suberant. Quâ de re notanda, quae habet *num.*9. „ Caeteroquin privilegia, quae hîc Monasteriis per Africam o„ mnibus communicantur, et jam privilegia non sunt, sed liberta-

,, tates communi in Africâ jure confirmatae, brevissimo gyro
,, concludunt spiritalem omnem Episcopi in Monachos jurisdictio-
,, nem. Sola enim eis servari videtur Ordinatio Clericorum, aut
,, Altarium Consecratio. Ne duo illa quidem capita satis firma
,, erant, si Monasteria se Episcopo Carthaginensi subjici mal-
,, lent; aut si Fundatorum voluntate ei, vel alii cuique Episcopo
,, subjecta fuissent.

Itaque in Monachorum, vel Fundatorum voluntate, et nutu positum erat, ut, quae Monasteria fundabant, ea Episcopo Carthaginensi, vel alii etiam, quem mallent, potius, quam Episcopo loci subjicerent. Quo sensu *Thomassinus* recte animadvertit *num.* 10., Episcoporum auctoritatem in Monasteria non penitus excisam fuisse, sed ab uno in alium, a Dioecesano in Carthaginensem translatam, sive adhuc, quod ut plurimûm, et prout etiam nunc obtinet, Episcopo loci pro Consecrationibus, et Ordinationibus subderentur, nec ab ejus correctione penitus essent immunes.

Hinc si Carthaginensis Antistes jurisdictionem suam in aliquod ejusmodi Monasterium, quod, licet in alienâ Dioecesi situm, suae tamen ordinariae jurisdictioni a fundatione subditum esset; si, inquam, jurisdictionem suam in tale Monasterium Episcopo loci delegavisset, rectissime diceretur novam reverâ huic Episcopo jurisdictionem datam esse, non veterem, quam nunquam in id habuisset, restitutam. Pari ergo, immo potiori jure, rectissime idem quisque dixerit de Regularium coetibus, sive quia non minûs, quam ut fit de Oppidis, et Pagis, a Localis Episcopi jurisdictione subtrahi potuere; sive quia, ut exemti vocati, receptique sunt, adeoque expressâ, vel tacitâ lege, ut quâ exemtione legitimâ auctoritate donati erant, eâ ipsis uti, fruique liceret.

Ad extremum honori Sedis Apostolicae consulere velle videtur Febronius, dum profitetur, eos, *qui qualitatem Delegati Sedis Apostolicae, quam Concilium Tridentinum Episcopis toties attribuit, his injuriosam esse asserunt, merito refutari a Petro Gibert Corp. Jur. Can. Proleg. &c.* Meritò sane. Nam, si cui aliquando vox ista excidit, non decere Episcopum munus obire Apostolici Delegati, nae ille specimen praebuit egregium superbae ignorantiae! Cujus enim arrogantiae est, meliorem se fa-

facere Judicem Dignitatis Episcoporum, quam fuerint Patres Tridentini? quam fuerit Oecumenica Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata? Aliunde quis Hospes adeo in Historiâ Ecclesiasticâ, quem lateat, quanta esset apud veteres muneris Vicarii Apostolici Dignitas, et Amplitudo; quove honoris, et auctoritatis gradu prae caeteris eminerent, quos Romanus Pontifex praestantis hujus, atque honorificentissimi muneris appellatione augeret? Cujus autem rationis est, ut Vicarii nomen deceat, Delegati non deceat?

POSITIO XXXVI.

„ Episcoporum Potestas jurisdictionis potuit quoad usum per „ Canones arctari. „

ANIMADVERS.

Non aliud poscebat Positionis hujusce declaratio, quam ut Canones proferrentur, qui permulti suppetunt, quibus vel a primis Saeculis Episcoporum potestas jurisdictionis multis modis restricta reperitur. Sed placuit Febronio argumenta conquirere minime quidem ad eam comprobandam necessaria, sed quae ad subjiciendam pari conditioni Pontificiam auctoritatem opportuna viderentur.

1. Itaque sic argumentatur: Si ex Gersonio, cujus ille testimonium profert, Papalis auctoritas sub certis regulis per Ecclesiam limitari potest, nullus dubitabit, quin Episcopalis nativa auctoritas eodem quoque pacto limitari valeat.

Recte quidem conclusum, non tamen vi antecedentis in argumento assumti. Sane patietur Febronius, ut pluris nobis facere liceat auctoritatem Tridentini, quam Gersonis. Porro Tridentinum *Sess.*7. Decreta de Reformatione condenda solemni hâc testificatione auspicatur, ut semper, et in omnibus salva esset Apostolicae Sedis auctoritas. Rursum *Sess. ultimâ c.* 21. „ conditis Decretis non aliter sanctionem adjicit, quam eâdem repetitâ testatione, *ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicae et sit, et intelligatur*. Quam declarationem, qui a germanâ, et obviâ, quam prae se fert, intelligentiâ in alienum sensum detor-

torquent, in id absurdum delabuntur; ut dicendum sit, Concilium hâc suâ declaratione nihil reverâ declaravisse.

Quod si Oecumenicae Synodi in Spiritu Sancto legitime congregatae eodem Divino Spiritu reguntur, non alia esse potuit antecedentium Conciliorum de praeservatâ Romani Pontificis auctoritate in suis condendis Decretis mens, et sententia, quam quae fuit a Tridentinis Patribus expresse declarata. Quod etiam vel facta ipsa comprobant, quibus constat, nullos Conciliorum Canones vim unquam, et efficaciam in universâ Ecclesiâ obtinuisse, nisi qui Pontificiae auctoritatis accessione firmati essent, quâ Oecumenicitas potissimum continetur, et perficitur.

2. Alterum argumentum sumit ex Graecâ Florentini Textûs lectione, de quâ superius dictum est. Infirmum plane argumentum. Quippe latina lectio non minûs fuit, quam Graeca, Concilio cognita. Praeterquamquod qui Graece norunt, facile perspiciunt, latinam lectionem Graecae congrue respondere.

3. Provocat ad Gallicanam Declarationem an. 1682., quâ in Apostolicâ Sede, ac Petri Successore *sic* rerum Spiritualium plena potestas agnoscitur, ut *simul* valeant, atque immota consistant Sanctae Oecumenicae „ Synodi Constantiensis a Sede Apo„ stolicâ approbata, ipsorumque Romanorum Pontificum, ac „ totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab Ecclesiâ Gallicanâ „ perpetuâ religione custodita Decreta de auctoritate Concilio„ rum Generalium.„

At hîc nonnulla reticet Febronius, quae in eo Declarationis loco subduntur, ex quorum reticentiâ nonnihil suboriri potest ambiguitatis. Si tantum spectentur verba, quae retulit Febronius, facile quis in animum inducere posset, Gallicanam, quam vocant, de superiori prae Pontificiâ Conciliorum auctoritate sententiam a Praesulibus Declarationis Auctoribus propositam fuisse velut Oecumenicae Synodi Decretis plane definitam: cui proinde nemo refragari possit sine fidei discrimine. Verum secus res habet se. Nam verbis proxime sequentibus hoc solum testantur, eos scilicet non probari ab Ecclesiâ Gallicanâ, qui Constantiensium Decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum Schismatis tempus Concilii dicta detorqueant. Caeterum longe absunt ab ullâ notâ iis inurendâ, qui sic sentiunt; immo vel ipsemet *Auctor Defensionis* id sibi con-

concedi postulat, ejusmodi controversiam ad fidem minime pertinere; Quod profecto dicere non licuisset, si constaret, aut constare illi censuissent, controversiam ab Oecumenicâ Synodo fuisse plane definitam. (1) Hâc proinde confessione hoc saltem certum eruitur, minime certum esse, Synodum Constantiensem eum sensum intendisse, quem illi defendunt. Quo posito parum admodum praesidii fatendum est, illis Decretis inesse ad firmandam opinionem, quae Concilii auctoritatem prae Pontificiâ extollit: quâ de re minime nobis opus plura hoc loco dicere, quibus pro instituti nostri ratione propositum est opinionum in primis commenta persequi, quae propria sunt Febronii.

Adhuc et hoc notandum, hâc ipsâ declaratione rerum spiritualium *plenam* potestatem in Romano Pontifice adstrui. Nec enim docti illi Praesules ab eâ voce abstinendum censuerunt, quam Universalis Ecclesiae Traditio consecravit. Quae porro sit vocis ejus germana vis, et significatio, ex communi, receptâque intelligentiâ satis perspicitur, simulque ex Patrum dictis, e quibus olim Febronius non aliter expedire sese posse sensit, quam exaggerationis immeritâ prorsus exceptione.

4. Sic disserit: „ Primitûs indivisus erat Episcopatus; poterat quilibet Episcopus ubivis terrarum suam libere exercere „ Potestatem: Divisis deinde Dioecesibus omnes tenebantur „ intra suos se continere fines. Initio nulli erant Patriarchae, „ Exarchi, Primates, et Metropolitani; nullus ex quatuor his „ gradibus a Divinâ proficiscitur institutione. Sed nec Apostoli „ his alios subjecere Episcopos. Quo plûs autem honoris, Dignitatis

(1) Idem confirmat Natalis Alexander Dissert. IV. de auctoritate, et sensu Decretorum Sess. IV. et V. Synodi Constantiensis his verbis: „ quâ quidem „ Declaratione hanc, et alias finire quaestiones Ecclesia Gallicana non intendit, sed sententiam dumtaxat suam declarare, ac solis ejusdem Ecclesiae membris, non aliarum Ecclesiarum Praelatis, aut Doctoribus, „ seu Professoribus legem statuere . . . . . . Atque hanc ipsam opinionem „ ab antiquo in Galliis receptam, ut Dogma Fidei suis non proponit Ecclesia Gallicana, sed ut probabiliorem &c. „ Caeterum quod de istius opinionis vetustate in Galliis memorat Natalis Alexander, non satis congruit cum antiquioris aevi monumentis, quibus longe aliam olim mentem in Galliis deprehendi animadvertit Episcopus Myriophitanus in *historiâ Trevirensi, ut supra notavimus*.

„ tatis, Potestatisque his tributum fuit (quod moribus primùm
„ factum esse dicimus *ex Synodi Nicaenae Can.6.*, ubi: Antiqui
„ mores serventur:), eo magis reliquorum Episcoporum auctoritas
„ arctata noscitur. „

De his jam superiùs dictum est, et aliâ scriptione uberiùs. Pauca hoc loco repetere satis fuerit, Episcopatum sic olim indivisum fuisse, ut cuilibet Episcopo licuerit ubivis terrarum suam libere exercere potestatem (si solos Apostolos excipias pro extraordinariâ potestate, quâ praediti fuere ut Apostoli, nec adeo in successores prorogandâ), nullo monumento evincitur, quin potius certissima antiquitatis documenta refragantur. Quippe ex actis ipsis Apostolorum, ex eorum Epistolis, et Johannis Apocalypsi eruitur, jam ab illâ aetate pluribus Ecclesiis suos peculiares Episcopos addictos fuisse.

2. Creabantur quidem interdum Episcopi nulli peculiari Sedi addicti, qui ad Infideles Nationes mittebantur Christum praedicaturi, quique ideo Episcopi Gentium dicebantur: sed ii nullam potestatem exercere valebant illis in locis, in quibus Ecclesiae jam fundatae erant, et Episcopi constituti. Non ergo *ubivis terrarum*; immo non extra Regionum fines, ad quas missionem acceperant, ut etiam nunc usu obtinet.

3. Solus Petrus ordinariam, supremam, immediatam in omni Ecclesiâ a principio potestatem exercuit, in Coenaculo primùm, dein extra Coenaculum per totam Judaeam, Galilaeam, Samariam, atque per Cornelii cooptationem in omni, quantum unquam patere posset, Gentilitate. Quam exercuit, Jure Divino exercuit, ex praescripto Christi: *Pasce Oves*, *pasce Agnos*: Quod si Jure Divino, nulla subsequuta Dioecesum divisio potuit eam potestatem minuere, quae Divinitus erat constituta.

4. Nullos, ait Febronius, ab initio fuisse Patriarchas, Primates, Metropolitanos; nullum ex his gradibus a Divinâ Institutione proficisci; nec vero Apostolos his alios subjecisse Episcopos. Quod illi gradus a Divinâ Institutione profecti non sint, minime quidem repugnandum: Quod ab initio constituti non fuerint, non sine aliquâ moderatione praetereundum. Recentiùs quidem illa sunt invecta nomina; sed longe antiquior res subjecta nomini. Apostoli dum Ecclesias fundabant, „ non ita, *inquit Thomassinus*
„ *p. 1. l. 1. c. 6. n. 20.*, transcribebant in Episcopos eam aucto-
„ rita-

„ ritatem, quam sibi creatione hâc spiritali pepererant, ut eâ „ se ipsi spoliarent „. Quam in rem intuens *Divus Thomas* in totâ Ecclesiasticae disciplinae constitutione longe exercitatior, quam tot novi Doctores, qui hanc sibi laudem assumunt, sapientissime interpretatur verba haec Apostoli: *in omni loco ipsorum, et nostro*: *Comm. in* 1. *ad Cor. c.* 1. *lect.* 1. „ *In omni ipsorum*, „ idest eorum jurisdictioni subjecto. *Et Nostro*, quia per hoc, „ quod subjiciebantur Episcopo Civitatis, non eximebantur a po- „ testate Apostoli. Quin immo magis erant ipsi Apostolo subje- „ cti, quam his, quibus ipse eos subjecerat „. Ad hanc normam Titus relictus est Cretae ab Apostolo, ut per Civitates Presbyteros constitueret, idest Episcopos, ut animadvertit *Thomassinus c.* 3. *n.* 3., qui tamen correptioni, curae, auctoritati Titi subjiciebantur. Ad eam normam a primis temporibus memoratur Episcopus, qui *primas* tenet in quâvis regione, quem subjecti omnes Episcopi agnoscere, nec arduum quidquam citra ejus auctoritatem aggredi deberent. Quare *Thomassinus c.* 7., posteaquam Romani Pontificis Primatum in totâ Ecclesiâ ad Jus Divinum, Patriarcharum vero, et Metropolitanorum ad Institutum Ecclesiasticum retulit, animadvertit, ejusmodi institutionem et Ecclesiae ipsi pene coaevam esse, et Juri Divino aliquo modo finitimam: „ Quippe quum ab Apostolis profecta sit, velut aemula- „ trix quaedam Apostolici Collegii, et ejus auctoritatis eximiae, „ quâ Christus Petrum supra Apostolos ipsos evexerat. „

Tantum itaque abest, potuisse ab initio Episcopos libere suam ubivis terrarum potestatem exercere, ut potiùs nec in propriis suis Dioecesibus haec ipsis libertas concessa fuerit; nec ullum fuerit tempus, quo Episcopi superiori cuidam auctoritati subesse non debuerint.

Istud quoque notatu dignum est, non alias ab initio Sedes ampliori eâ auctoritate, quae Patriarchali postmodum nomine insignita est, antecelluisse praeter Alexandrinam, et Antiochenam, quae ab ipso Petro fundatae erant; quumque ab aliis Apostolis aliae permultae fundatae essent, nullam tamen pari dignitatis gradu ab origine constitisse. Quâ de re audiendus *Thomassinus p.* 1. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 7. „ Sed, *inquit*, si seponatur contempla- „ tio nominum, et ipsa spectetur auctoritas, certissimum est, „ singularem prorsus ab ipsis usque Ecclesiae primordiis, et prae-

 „ cel-

„ cellentissimam fuisse Romanae, Alexandrinae, et Antioche-
„ nae Ecclesiae potestatem, ut quae in eas profecta sit a Petri
„ Principatu, qui eas instituerat „. Et num. 28. „ In praecelsum
„ istum apicem dignitatis sublimatae sunt tres illae Civitates
„ maximae, non quod Regiae fuissent, sive Romani in Orbe to-
„ to, sive Graeci Imperii in Ægypto, et Syriâ Capita; sed quod
„ ad eas accesserit, easque sibi quodammodo censuerit Is, quem
„ sempiterni Principatûs Ecclesiastici fundamentum Christus po-
„ suerat. „

Huc referri potest, ac saltem velut per transennam indicari, quod in Chronico Alexandrino ab Eutychio Patriarchâ proditum est, ad Demetrium usque, qui undecimo loco Alexandrinam Sedem tenuit, nullum alium totâ Ægypto fuisse Episcopum; a Demetrio tres fuisse constitutos; ab Heraclâ ejus Successore viginti. Cui chronico fidem minus habendam Critici non pauci existimarunt hâc de caussâ, quod fidem omnem superet, Alexandrinam Dioecesim tot constantem Provinciis ab uno Episcopo administrari potuisse. At huic loco nonnihil lucis afferre posse videtur vetustissima, quae ad haec ultima tempora viguit apud Maronitas, consuetudo, ut Patriarcha per totam eam latissimam Regionem Episcopos distribueret suo nutu, quandocumque libuisset, amovendos, qui pro eo tempore singuli portionem Gregis curarent, quam sibi Patriarcha curandam tribuisset. Potuit consimilis mos in Ægypto viguisse ab initio, non ut unus tantum in totâ Ægypto existeret, qui esset Episcopali Ordine insignitus, sed quod una tantum esset Sedes proprie Episcopalis, Alexandrina nimirum, cujus immediatae jurisdictioni tota Regio subesset, ab eâque in varias partes Episcopi mitterentur, qui Episcopalia munera obirent: postea tres Episcopales Sedes proprie dictas a Demetrio, ac viginti deinceps ab ejus Successore Heraclâ constitutas fuisse. Sed haec praeter institutum.

Ad aliam quaestionem vocat nos *Febronius pag.* 228. „ An
„ sicut Ecclesia, et Concilia universalia, ita et Summus Ponti-
„ fex potestatem jurisdictionis Episcoporum in suo usu, et exer-
„ citio restringere possit? „ Mox responsum affert D. Rautenstrauch: „ Non potest restringi, aut adimi Episcoporum jurisdi-
„ ctio a Pontifice; et, quod eodem recidit, neque exemtiones
„ a jurisdictione Episcoporum concedi, nisi ex caussis Canoni-
„ cis,

„ cis, seu quum id necessitas, aut utilitas Ecclesiae postulat. „ Cui responso suffragatur Febronius hisce verbis: „ Si Pontificis „ Decretum Episcopi potestatem ultra morem hactenus rece- „ ptum *novo Canone* arctans polleat dotibus recensitis, et potis- „ simum *Can.* 2. *Dist.* 4., vim habebit Decretum, et obtinebit „ Pontificia restrictio . . . . Dixit cl. Rautenstrauch, restrictio- „ nem a Papâ fieri posse, *si id necessitas, aut utilitas Ecclesiae* „ *postulat:* Et haec est conditio sine quâ non . . . . Sed quis „ eo casu cognoscet, an revera adsit necessitas, aut utilitas „ Ecclesiae? Respondeo: Episcopus, qui a Spiritu Sancto posi- „ tus est ad regendam Ecclesiam suam. „

Hoc itaque loco Febronius agnoscit, ab Ecclesiâ, et a Generali Concilio jurisdictionem Episcoporum in suo usu absolute restringi posse; a Pontifice vero cum addito, nempe si necessitas, aut utilitas Ecclesiae id postulat, eamque conditionem esse *sine quâ non*: Demum ejus necessitatis, utilitatisve Judicem, et Cognitorem Episcopum esse. Illustre argumentum potestatis, quâ pollet Summus Pontifex coërcendae Jurisdictionis Episcoporum, sumi ex eo potest, quod Osores ipsi Pontificiae auctoritatis, qui tamen Catholici audire volunt, minime audent eam diserte, et expresse negare, sed eam in speciem agnoscentes, ne videantur sensui Catholico nimium refragari, undique subsidia sibi comparare student, quibus ei omni tempore possit obsisti, ac impediri, ne vim exerat suam.

Caeterum, quae in hanc rem cum D. Rautenstrauch Febronius disserit, plerumque ille repetit ex hoc principio, quod plena potestas, quam verbis fatetur collatam Pontifici, data sit in aedificationem, non in destructionem. Egregie. At etiam potestas, quae data est Generali Concilio, data est quoque in aedificationem, et non in destructionem. Proinde conditio illa *sine quâ non*, quam urget Febronius, aeque de Decreto Concilii Generalis valere debebit, ac de Decreto Pontificis; nullaque adeo ex hoc capite distinctio erat facienda.

Sed et ambiguitas ex eo nascitur, quod non satis apte positus sit status quaestionis, quam versandam suscepit Febronius. Aliud est inquirere, quae cuique potestas competat; aliud, quae sit recta ratio potestatis utendae; Aliud, uno verbo, *quid valeat*; aliud, quid *liceat*; seu aliud, quid ratum sit; aliud, quid ex omni

parte rectum. Sexcenta exempla proferri possunt. Sane potest Episcopus graviora quaedam crimina judicio suo reservare; fieri quoque interdum potest, ut aliquis Episcopus eâ potestate minus prudenter utatur, eumque sibi casum reservet, cujus reservatio non sit expediens, et profutura: tamen, si talem casum non antea reservatum Episcopus postmodum sibi reservandum duxerit, eâ profecto reservatione restringetur potestas etiam illa ordinaria, quâ ante pollebant in Foro interno ipsimet Parochi quoad ejus casûs absolutionem. Ratum id, inquam, erit, non ex omni parte rectum.

In eo porrò, quod Febronius Episcopum Judicem, & Cognitorem constituit ejus conditionis, fine quâ valere non debeat Pontificium Decretum, ut caetera omittam, quae superiûs dicta sunt, plurimûm ille discedit a mente, et sententiâ Tridentini. Quod ut pateat, satis fuerit proferre quod ab eâ Synodo statutum est initio *Cap.*13. *Sess.*24. *de Refor.*. „ Quoniam, *inquit*, pleraeque „ Cathedrales Ecclesiae tam tenuis reditûs sunt, et angustae, ut „ Episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque Ecclesiarum „ necessitati sufficiant, examinet Concilium Provinciale vocatis „ iis, quorum interest, et diligenter expendat, quas propter angustias, tenuitatemque vicinis unire, vel novis proventibus auge- „ re expediat; confectaque de praemissis instrumenta ad Sum- „ mum Pontificem Romanum mittat, quibus instructus Summus „ Pontifex ex prudentiâ suâ, prout expedire judicaverit, aut „ tenues invicem uniat, aut aliquâ accessione ex fructibus „ augeat. „

Tantum ergo abest, quod Tridentinum Summi Pontificis prudentiam singularis cujusvis Episcopi prudentiae subjecerit, quod sapientissimorum Patrum pro suâ Religione aures ferre non potuissent, quin potius, quod a Concilio Provinciali de rebus ad Provinciam pertinentibus diligentissime fuerit examinatum, jubet examini subjici Summi Pontificis, qui ex suâ prudentiâ decernat, quid facto sit opus. Sed hoc fatale est, quod nemo Pontificiam auctoritatem impetere valeat, quin eodem incursu in Conciliaria Decreta impingat.

Quid? Quod ex eodem Febronii principio sponte suâ fluit, ut, quam ille Episcopis licentiam tribuit adversûs Romana Decreta, eâdem de caussâ valere illa debeat adversûs Decreta Generalis cujus-

cujusvis Concilii, quotiescumque alicui Episcopo videatur Conciliare aliquod Decretum minus Ecclesiae suae convenire? Quod si forte dixerit, fieri non posse, ut minus conveniat, quod a Generali Concilio sancitum fuerit; stet igitur, oportet, quidquid Tridentinâ Synodo firmatum est de appellationibus, de Exemtionibus, aliisque Apostolicae Sedis juribus, quae tot librorum Scriptores hâc aetate aut aperte petunt, aut clanculum oppugnare, aut per ambages eludere moliuntur.

Sensit Febronius, quas recensuit legis proprietates depromtas *ex Dist.4.c.2.*, non minus in Civiles, quam in Pontificias leges convenire. Caute proinde ad invidiam eâ de caussâ declinandam *pag.*118. monuit, se non loqui de Principibus Saecularibus. Cautiûs forte, si tacuisset; nam cavendo admonuit, rem ipsam eloqui, quod ipse loqui noluit: nimirum si valent ea, quae ex hujusmodi proprietatibus eruere, licet perperam, ille nititur ad eludendas leges Pontificias, eadem ad Civiles leges eludendas afferri posse, jam superiûs innuimus. Itane praeclari isti Principatûs Defensores Principum auctoritati, Regnorumque tranquillitati consulere didicerunt?

Demum concludit Febronius *p.*230. „ Porro sicut nativa po„ testas Episcopalis per ea, quae diximus, in exercitio minui „ valet, ita et mutatis circumstantiis potest ampliari. „ Duo quaeri possunt ex Febronio. 1. An ea Episcopalis potestas, quae per Canones restricta est, aliter, quàm per Canonicam auctoritatem ampliari valeat? 2. An extet Canonis exemplum, qui refragante Pontifice vim, et efficaciam in universâ Ecclesiâ unquam obtinuerit?

POSITIO XXXVII.

„ De iis, quae ad Fidem, Sacramenta, et Ecclesiasticam „ Disciplinam pertinent, sola Potestas Ecclesiastica decernit. „

ANIMADVERS.

IN hujusce Positionis confirmationem multa initio disserit Febronius, quae libenter describimus, sive quia pleraque sunt egregie dicta; sive ut, quam parum ille sibi deinceps constet, perspi-

spiciatur . ;; Quemadmodum , *inquit*, Christus solis Apostolis ,
,, eorumque Successoribus Spirituale Regimen dedit , ita Tempo-
,, rale Principibus reliquit , et confirmavit . Haec utriusque Re-
,, giminis differentia se potissimum manifestavit primis Ecclesiae
,, Saeculis , quibus Spirituale Regimen per trecentos propemodum
,, annos administratum fuit inter tot , tantasque difficultates , et
,, obstacula felicissima faciens incrementa . Eo sane tempore
,, penes Imperatores , Principes , et Magistratus Ecclesiastica
,, Potestas esse non potuit : si quidem , qui tunc res publicas ges-
,, sere , Pagani essent , et juratissimi Christianorum Hostes .
,, Tunc Regimen Ecclesiae *externum* totum erat Pastorum , non
,, Regum . Plura non localia solum Concilia , sed et Nationalia
,, in causâ Baptismi , Paschatis , Montani ec. coëgere Praesules ,
,, non Reges : Excommunicati sunt Haeretici a Praesulibus , non
,, a Principibus Saeculi : Dispensationes Homicidis , et Moechis
,, concessere Pontifices , non Reges ; uno verbo in, et externum
,, Regimen Ecclesiasticum totum erat Sacerdotum , non Regum ,
,, seu Imperatorum . Neque postquam animum ad Christianam
,, Religionem adjecerunt Principes , Christique legem complexi
,, sunt , pristinum Episcoporum jus abrogatum est . Sub Constan-
,, tino , et Christianis Imperatoribus Episcopi , aeque ac illi, qui
,, sub Paganis sederunt , successere in vicem , et jura Apostolo-
,, rum ; Sacra dirigebant eâ dignitate , et potestate , quae a Chri-
,, sto , et Apostolis in ipsos et ut Christi Vicarios , et Aposto-
,, lorum Successores propagata erat . Sic , qui primi Christiani
,, Imperatoris temporibus vixit , magnus Osius Episcopus Cor-
,, dubensis , Symboli Nicaeni Dictator Filium Constantini Con-
,, stantium ab Arianis seductum , et eorum persuasione negotiis
,, Ecclesiasticis se immiscentem in Epist. Athanasii ad Monachos
,, *Oper. Tom.* 1. *p.* 371. *Edit. Bened.* graviter monet : ,, *Ne te re-*
,, *bus misceas Ecclesiasticis : nec nobis his de rebus praecepta*
,, *mandes , sed a Nobis potius haec ediscas . Tibi Deus Imperium*
,, *tradidit , Nobis Ecclesiastica concredidit .* Ac *quemadmodum*
,, *qui Tibi Imperium subripit , Deo ordinanti repugnat ; ita me-*
,, *tue , ne si ad te Ecclesiastica pertrahas , magni criminis reus*
,, *fias : Date , scriptum est , Caesari , quae sunt Caesaris ; et*
,, *quae sunt Dei , Deo* . Nec minus cordate scripsit ad Impera-
,, torem Valentinianum , qui ab Arianis depravatus de rebus Fi-
dei

„ dei judicare attentabat, *Sanctus Ambrosius Op.tom.2.pag.861.*
„ *Edit. Bened.* Adde ejusdem *Epistolam ad Sororem pag.857.*
„ Haec ulterius prosequi non vacat, quia omnibus Catholicis tam
„ sunt evidentia, quam nota. Quâ autem ratione eisdem ab Aca-
„ tholicis fides historica (ne quid amplius nunc dicam) negari va-
„ leat, haud dispicio. „

Quisquis haec legerit, in animum facile inducet suum, Febronium tandem cum Osio, et Ambrosio sentire, cum Athanasio, aliisque ejusdem aevi gravissimis Viris, quos paullo superiûs memoratos a Myriophitano audivimus, qui Trevirensem Ecclesiam spectatissimam Sanctitate, Doctrinâ, Miraculis illustrarunt. Verum habet Febronius clausulas sibi reservatas, quae priscae illius aetatis simplicitatem fugerunt. Sic itaque pergit concludendo. „ Jura *mere Spiritualia* sibi Princeps arrogare non potest;
„ nequit etiam Ecclesiam in ejusmodi juribus, quae ad Ecclesia-
„ sticae potestatis essentiam pertinent, turbare vel minimum:
„ proinde aut juri Leges Ecclesiasticas ferendi, aut illi judicio,
„ quod Ecclesiae in foro Conscientiae competit, aut Spiritualium
„ poenarum exequutioni civiliter indifferenri ullum ponere impe-
„ dimentum. „

Quid sub illis non satis definitis verbis *Essentiae potestatis, juris mere Spiritualis*, exequutionis *civiliter indifferentis* comprehendere Febronius voluerit, non adhuc distincte explicat: Viam tamen sibi munit ad retrahenda, quae concessisse; ad concedenda, quae subtraxisse videri poterat. Interea brevi res tota confici potest. Quidquid Apostoli, et Apostolorum Successores in Sacro Ministerio peregerunt, sive Personas spectes, sive potestatem, sive modum exercendi regiminis (ut habetur Posit.1.), id totum praestiterunt jure Divinitus collato a Saeculari Potestate prorsus immuni. Hoc effatum proponit Febronius velut Catholicis omnibus notum, ac evidens. Aliunde ipso etiam fatente Apostoli, eorumque Successores eo jure usi sunt in ordinandis, ac deputandis Sacrorum Ministris, in Synodis convocandis, et habendis, in excommunicandis Haereticis, aliisve flagitiosis, et contumacibus reis, in Dispensationibus concedendis, in ferendis legibus, velut de Connubiis, de Accusationibus adversûs Presbyteros recipiendis, deque aliis ad externam disciplinam pertinentibus. Ergo haec omnia pertinent ad eam potestatem, quam Chri-

Christus Ecclesiae reliquit. Neque aliquid horum excludi poterit, quasi aut non *mere* spirituale, aut non ad *essentiam* pertinens potestatis Ecclesiasticae, aut non *civiliter* indifferens, nisi velit Febronius per istas verborum subtilitates perverti jus posse, quod ille Divinitus constitutum fateatur. Hoc loco Febronius non aliud immune judicium Ecclesiasticae potestati concedere videtur, quam quod in foro Conscientiae competit: An censet, ad forum tantum conscientiae pertinuisse judicia, quae Osius, et Ambrosius Ecclesiae vindicabant; immo judicium ipsum, quo Paulus incestuosum Corinthium excommunicatione perculit, atque a Fidelium communione interdixit?

Pergit rursum *pag.233.* „ Interim pro bono concordiae in„ ter Sacerdotium, et Imperium (de quo Posit. sequ.) conve„ nit observari, esse in materiâ 1. *Fidei*, 2. *Sacramentorum*, „ 3. *Disciplinae* quaedam Capita, quae jura Civium tam prope „ attingunt, ut Principis attentionem, atque inspectionem mi„ nime excludant. „

Et continuò agens de inspectione Principis in materiâ Fidei, subjungit: „ Etenim quantum ad Constitutiones circa res Fidei „ habet Princeps jus eas, antequam publicentur, inspiciendi, an „ non quid nocivum Reipublicae contineant. „

Res hîc agitur gravissimi momenti. Dogmata *Fidei* ab Apostolis, eorumque Successoribus per tercentos annos, ut ait Febronius, rite sunt promulgata, quin ad eam promulgationem legitime faciendam necessarius unquam existimatus sit assensus Principis. Doctrinae porro fidei sic promulgatae parere Fideles, intimumque animi assensum praebere tenebantur. Scilicet tota ratio promulgationis, quae ad hanc inducendam obligationem requiritur, ac sufficit, intime cohaeret juri, ac muneri praedicandi Evangelium omni Ceaturae, docendique omnes Gentes, quod jus, munusque Apostolis, eorumque Successoribus ab omni humanâ potestate immune Christus ipse tradidit, atque commendavit. Vix proinde intelligi potest, quam animo informaverit publicandi formam, ac speciem, dum Seculari Potestati jus tribuit Decreta Fidei inspiciendi, antequam publicentur.

Decretum Fidei, quo Dogma quodvis Catholicum definitur, veritatem continet a Deo revelatam; quam non statim, atque ab Ecclesiâ proposita est, toto animo, debitâque fide, ac religio-

gione complecti impium sit, ac nefarium. Nunc vero, quum Magistratui Laico jus tribuat Febronius Decreta ejusmodi inspiciendi, antequam publicentur, si contingeret, Laicum Magistratum in hoc utendo jure longiores moras trahere, ac nectere; interea vero propositio veritatis definitae per Decretum Ecclesiae, seu Decreti ejus cognitio ad ejus Regionis Fideles perveniat; quibus modis sub Ethnicis Imperatoribus primis Saeculis propagabatur, soletque etiamnum ad eos propagari, qui degunt in Terris Infidelium; Quaeri potest ex Febronio, num toto illo intervallo suspensa remaneat in illis Fidelibus obligatio suscipiendi Decreti; an statim debeant, quemadmodum olim, Fideles Dogma propositum recipere non ut verbum hominum, sed ut verbum Dei, quod revera est? Si primum dixerit, agnoscat, oportet in Magistratu Laico potestatem efficiendi, ne, saltem per aliquod tempus, et quoad sibi placuerit, teneantur Fideles credere Deo loquenti. An forte dicet, non haberi legitimam promulgationem, antequam eam Laicus Magistratus indulserit? At legitima semper habita est promulgatio, quae sine veniâ Magistratus fiebat olim ab Apostolis, et nunc fit in Terris Infidelium, ex quâ tamen oriebatur, et etiamnum oritur obligatio praestandi assensum fidei. Qui autem consistere potest, ut quod valet in Terris Infidelium ad eliciendum fidei assensum, valere non debeat in Terris Fidelium? Omnino Fides ex auditu; Auditus autem Ministerio eorum, qui ad munus praedicandi, docendi, annuntiandi ab Ecclesiae Pastoribus deliguntur, et canonice mittuntur. Authenticae hujus promulgationis faciendae auctoritate praediti fuere Apostoli, eorumque proximi Successores, vi cujus in omnem Terram exivit sonus eorum. Haec ipsa auctoritas data est in aevum omne proroganda. Igitur eâdem nunc etiam auctoritate nullo requisito Magistratûs assensu pollet Ecclesia. Neutri ex praemissis propositionibus refragari potest Febronius, quin et cum sensu Catholico, et secum ipse pugnet apertissime.

Quod attinet ad alterum Caput inspectionis, de duobus potissimum Sacramentis disserit Febronius, nimirum de Matrimonio, et Ordine.

De Matrimonio ait, illud esse „ non solum Christianum Sa„ cramentum, sed etiam civilem contractum. Primo respectu „ habere Ecclesiam jus, et potestatem statuendi impedimenta

„ Matrimonium impedientia, et dirimentia : habere et Principem „ in illud quâ contractum civilem sua jura . . . . Porro, „ *inquit*, quoties impedimentum respicit materiam *Sacramenti*, „ ejus cognitio ad Judicem Ecclesiasticum pertinet : si ad materiam Contractûs ad Judicem Civilem . „

Si, quoties agitur de civilibus tantûm effectis contractûs Matrimonii, dixisset Febronius, controversiae cognitionem ad Civilem Judicem pertinere, nil dixisset alienum a communi sensu Doctorum. Sed quod ait, impedimentum, si *materiam contractûs* respicit, ad Judicem Civilem pertinere, in eo non parum fallitur. Impedimenta sive quae naturali, ac Divino Jure nituntur, sive quae ab Ecclesiâ statuta sunt, plerumque materiam ipsam contractûs attingunt, et afficiunt, sive quatenus Personas ipsas inhabiles reddunt ad contrahendum, velut in impedimento Voti, Ordinis, Cognationis &c.; sive quum ex modo contrahendi, velut in Matrimonio Clandestino, et Personae inhabiles, et contractus ipse nullus, et irritus declaratur &c. Quin et impedimentum erroris, ac violentiae, quod ex jure naturali emergit, intimam ipsam afficit contractûs vim, ac naturam. Porro quoties controversia exoritur, num propter tale aliquod impedimentum Matrimonium irritum sit, nec ne, certe causa Matrimonialis existit, licet impedimentum materiam contractûs respiciat : Causas autem Matrimoniales ad Judices Ecclesiasticos spectare *Tridentinum* sub anathematis interdictione definivit *Sess.* 24. *c.* 12. Ratio aperta est. Quod enim dicitur, Matrimonium inter Baptizatos rite initum esse Sacramentum, non sic accipiendum est, quasi Sacramentum contractui accedat velut extrinsecum, et adjectitium ornamentum; sed quod Christus ipsummet contractum rite initum ad Sacramenti dignitatem evexerit. Nec desunt alia momenta, quae invicte demonstrent, nullum veri nominis maritalem contractum inter eos consistere, qui cum impedimento dirimente contractum illum attentare praesumant : Quae momenta breviter hoc loco indicasse satis fuerit. I. Per impedimentum dirimens Personae inhabiles fiunt ad contractum Matrimonii ineundum : Liquet autem nullum esse contractum ab illis attentatum, qui sint inhabiles ad contrahendum. II. Ad essentiam maritalis legitimi contractûs pertinet, ut ex eo mutuum jus in Corpora contrahentes acquirant : Atqui ex Matrimonio cum impedimento dirimente attentato nullum

nullum tale jus legitimum contrahentes acquirunt. Igitur deest, quod ad essentiam ejus contractûs pertinet, nec adeo veri nominis contractus maritalis censeri potest. III. Hinc plurimi Canones veteres decernunt, Matrimonia cum impedimento dirimente contracta non esse honesto *Conjugii* nomine deputanda; sed velut incestos, ac nefarios Concubitus habenda.

De Ordine unum hîc animadvertisse satis fuerit, placuisse Febronio, quae disserit, ex Theodosii, Justinianive legibus magis, quam ex Canonum fontibus haurire. Sed hîc etiam repetendum, quod notatum a *Natali Alexandro Dissert.* 28. *in IV. Saec.* superius animadvertimus: „ Ex Justiniani Constitutionibus colligi „ non posse, quaenam fuerit Ecclesiae disciplina, quia nulla „ fuit earum in Ecclesiâ auctoritas, nisi quatenus cum Sacris Ca- „ nonibus consentiebant, ut constat ex *Epistolâ Sancti Agapiti* „ ad eum datâ. „

Quoad reliquas partes disciplinae (quod tertio loco positum est); „ Quum Ecclesia, *inquit Febronius*, gaudeat potestate, „ seu facultate actiones Fidelium Reipublicae innoxias pro suo ar- „ bitrio ad aeternam salutem determinandi, sic Rectorum Civi- „ tatis officium est, ut ea, quae ad bonum disciplinae a potestate „ Ecclesiasticâ ordinantur, et civiliter *indifferentia* sunt, non „ tantûm non impedire, sed secundum proportionem mediorum, „ quibus efficacissimis sunt instructi, promoveant etiam, atque „ tueantur. „

Sic ergo Rectorum Civitatis officium erit auctore Febronio, quae ad bonum disciplinae a potestate Ecclesiasticâ ordinantur, non impedire, modo ne sint *civiliter indifferentia*. Haec scilicet alia est conditio sine quâ non, vi cujus merito gloriari potest Febronius, sibi uni contigisse, quod nulli Sancto Episcopo unquam contigit, aut contingere potuit, ut unâ suâ voculâ totam, quanta est, Ecclesiae disciplinam Seculari Potestati subjiceret. Etenim, quum hoc ipso capite civilis hujus indifferentiae judicem faciat Secularem Potestatem, quid est in totâ externâ disciplinâ, quod Rector Civitatis hâc Febronianâ facultate instructus non valeat inter ea recensere, quae non sint *civiliter indifferentia*, idque proinde pro suo jure, et arbitrio impedire? Quid, si judicaverit, non esse civiliter indifferentem Ciborum delectum, et abstinentiam in jejuniis, cessationem a servilibus operibus, aut ab aliis

muniis vacationem diebus Festis, temporis partem illis diebus religioso cultui impendendam; uno verbo tantûm non omnia externae disciplinae vestigia una *sine quâ non* a Febronio inducta conditio delebit, abolebit, aeternum valere jubebit? Sic didicit Episcopus de disciplinâ Ecclesiae mereri?

Sed et alia innuit, quae non solum Rector Civitatis impedire possit, sed quae omnino eliminare debeat, nimirum „ ea om„ nia, quae hominum arbitrio tamquam *accidentalia* Religioni ad„ veniunt, quam primûm Reipublicae nociva esse incipiunt. „ . . . . Etenim neque Deus vult, neque velle potest, „ ut quid arbitrio hominum Religioni accedat, quod fini Civita„ tis, quem ipse immutabili naturali lege praestruxit, sit ad„ versum. „

Equidem haud facile fuisset divinare, quae sint accidentalia ista, quae hominum arbitrio Religioni adveniunt, et ut noxia Reipublicae eliminari debent. Sed mox mentem suam aperit: „ Hoc, *inquit*, multo magis intelligendum de iis, quae a benefi„ cio, seu indulgentiâ Principum originem ducant, etiamsi po„ stea *Canone firmata* fuerint, quo multi Doctorum referunt „ exemtionem Cleri a judicio civili, forum Ecclesiasticum exte„ rius, Jus Asyli &c. „

Non hîc disputandum aggredior de Cleri immunitate, de exteriori Ecclesiae foro, (sine quo tamen *externum* regimen intelligi non potest, cujus potestatem a Christo Ecclesiae collatam superius agnovit Febronius), de jure Asyli &c., quae fuere a doctissimis viris diligentissime pertractata. Sed hoc plane mirum, quod, posteaquam Tridentina Synodus immunitatem Ecclesiasticam Divinâ ordinatione constitutam declaravit, eamque tam enixe Catholicorum Principum pietati commendavit, tam graviter eos de suo in illâ tuendâ officio admonuit, contra Febronius tam patienter sustineat, a multis illis Doctoribus inter ea recenseri, quae ipso Judice Rector Civitatis non impedire tantum possit, sed et eliminare debeat hâc imprimis ratione, quod ea Deus nec vult, nec velle potest! Egregium Divinae Voluntatis Interpretem! Quasi Deus nec velit, nec velle possit, quod ipse Divinâ suâ ordinatione constituit. Sed nulla manet ratio agendi cum Febronio, qui palam *Canonem ducem* deserat, quo *duce* ostendebat, omnia se velle transigere.

PO-

POSITIO XXXVIII.

„ Curandum, ut pax, et concordia inter Sacerdotium, et
„ Imperium servetur, et offensionum viteutur occasiones „

ANIMADVERS.

EXpedita hujus pacis, et concordiae conciliandae via, et ratio suppetit ex celebri Epistolâ Sancti Gelasii ad Anastasium Augustum, cujus haec verba refert *Febronius* initio Commentarii:
„ Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter Mundus
„ hic regitur, Sacerdotalis Auctoritas, et Regalis Potestas.
„ Utraque principalis; Suprema utraque, neque in officio suo
„ alteri obnoxia est. „ Cui sententiae consentanea sunt, quae scribit et Osius ad Constantium, et Nicolaus I. ad Michaëlem.

Nimirum jura secernuntur, quae utrique Potestati conveniunt; Ecclesiastica Sacerdotio, Secularia Imperio tribuuntur: quae distinctio, si ad communem sensum, et intelligentiam referatur, nil ambigui prae se fert, quo tranquillitas Ordinis, quâ Pax efficitur Auctore Augustino, turbari aliquando possit.

Sed communi huic intelligentiae non plane sese accommodat Febronii mens, et sententia. Habet ille suas clausulas, quarum semper ea est vis, ut quae jura Canonum Sanctiones Ecclesiae tribuunt, ea quandocumque libeat, Ecclesiae impune subtrahantur, ac Saeculari Potestati subjiciantur.

Itaque interpretationem sic orditur, ut Ecclesiasticae Potestati tamquam *mere Spirituali* non alia quoque, nisi *Spiritualia media* concedat ad suum finem obtinendum. Sed ex Febronio quaeri meritò potest, quibus ille finibus hanc meram *Spiritualitatem* concludat? An rei mere Spiritualis nomine intelligat, quod sic in intimis animi recessibus delitescat, ut nullâ parte sese prodat exteriûs, nil prae se ferat Corporeum, Visibile, Apparens, quod sensu percipiatur, ac in externâ vitae actione versetur?

At, si hoc pacto mere Spirituale accipiendum est, nulla jam externa actio Ecclesiae judicio relinquitur; nulla remanet forma, et species externi muneris, ac regiminis. Notum porro est, nec dissentit Febronius, Christum visibilem Ecclesiam fun-

fundasse visibili auctoritate regendam, visibilibus officiis administrandam; Cujus proinde potestatis Ministerium Spirituale dicitur, non quod externam actionem excludat, sed quod ad Spiritualem finem referatur. Ad essentiam Religionis, et Ecclesiasticae Potestatis pertinet externi Cultûs Professio; pertinet praedicandi, ac docendi munus quum ipsiusmet Christi mandato: *Euntes docete etc.*, tum Apostolorum exemplo, qui *publice docebant*: pertinet Sacramentorum Administratio, quae tamen in Corporeâ materiâ, et actione versantur; pertinet Rituum, et Caeremoniarum instituendarum Potestas; Sacerdotum, et Fidelium Conventus ad Mysteria celebranda; Ministrorum ad Sacras Functiones, aliaque religiosa munia Ordinatio, et Designatio. Atque haec, et his similia ex ipsismet sacris litteris eruuntur apertissime.

Quin etiam, nec dissentiente *Febronio p.* 22., ad Ecclesiam jure Divino spectat vera regiminis auctoritas, quae legiferam, judiciariam, coërcitivam potestatem complectitur. Atque ad id jus non dubitat referre poenas Canonicas, quibus Rei subjiciebantur; quaeque nihilominus non bonorum dumtaxat Spiritualium privationem, sed et corporeas afflictationes plerumque inferebant. Quae omnia si et Christi mandato, et Apostolorum, Canonumque institutis Ecclesiae convenire omnino convincuntur, fatendum, hanc esse vim, naturamque Potestatis Ecclesiasticae, ut, licet pro fine, in quem spectat, Spiritalis dicatur, et sit; prorsus tamen visibili, externoque ministerio exerceri valeat, ac debeat.

Quid ergo Catholico Viro sentiendum de homine, qui hoc externum, ac visibile ministerium, quod in constituendâ disciplinâ versatur, non aliter Ecclesiae liberum, atque a Secularis Potestatis inspectione, et jure immune relinquat, nisi sub hâc conditione, quod sit *civiliter indifferens*: Soli autem Seculari Potestati Civilis hujus indifferentiae cognitionem, ac judicium attribuat? Videndum ergo Febronio, quid de se judicari velit: an quod ille mere *Spirituale* dicit, sic intelligi jubeat, ut quidquid est externum, excludat; eoque nomine a nativo Ecclesiae jure submoveat? Et si quid externum in disciplinâ nativo Ecclesiae juri concedit, idipsum non aliâ lege concedat, nisi quatenus non sit civiliter indifferens? Quo posito quum nil fere sit exter-

ternum, quod hoc nomine Secularis Potestas, quandocumque libuerit, ad se trahere non valeat, jam vix ullum relinquetur externi muneris, aut disciplinae officium, quod Seculari Potestati non subjiciatur. Non ignorat Febronius, multa disciplinae capita fuisse jam ab Apostolis, eorumque proximis Successoribus constituta, quae tum Secularis Potestas non velut civiliter indifferentia habuit, immo severissime interdixit. Statuat ergo Febronius, num jure suo, ac legitime id facere potuerit. Quidquid dixerit, sane lubrico in loco versabitur.

Superest, ut pauca dicamus de quinque monitis, quibus ille Commentario suo finem imponit.

Primum: „ Quae plurium Saeculorum usu, atque ita tacito „ saltem Ecclesiae consensu Apostolicae Sedi obvenerunt reser- „ vata *accidentalia*, ea illi citra contrarium universalis Eccle- „ siae consensum, sive in Concilio, sive extra illud retrahi non „ possunt. Sic docuit *Claudius Fleury Discursu* 12. *in Hist.* „ *Eccles.* „ His auditis verbis facile quisquam existimaret, huic Fleurii sententiae Febronium adscriptorem sese adjungere; et quoad reservata, quae vocat, accidentalia (quam vocem nescio quo ex Canone arripuerit), nolle Sedem Apostolicam ab eo possessionis statu dimovere, in quo eam vel Fleurius ipse relinquere non dubitaverit. Verum hanc veniam Sedes Apostolica haud facile a Febronio impetrabit. Forte Canonem aliquem primus ipse reperit, qui Claudii Fleurii diligentiam subterfugerit. Utique.. En Febronianum Canonem. „ Insinuavit tamen mihi nuper Vir di- „ gnitate Ecclesiasticâ, et muneribus publicis conspicuus, sed „ a sublimiore juris Canonici scientiâ, atque prudentiâ Orbi „ notior: Non dispicere se, quare insignior quaedam Ecclesia, „ V.G. Germanica, Gallica etc. non valeat pro propriâ suâ, suae- „ que Gentis, et eâ quidem evidente utilitate Spirituali in ac- „ cidentalibus his disciplinae articulis etiam non consentiente „ Romano Pontifice aliquid immutare, et ad pristinum morem „ reducere. Verum illud ego aliis discutiendum relinquo. „ Ergo quod Vir quispiam, sive doctus, sive aliter dixerit, se non dispicere, in eâ nuper insinuatâ Viri istius non perspicientiâ satis caussae Febronius putabit, ut saltem in discrimen, et dubitationem adducat, quod sit universali Ecclesiae usu receptum?

Alterum monitum: „ Dum quaestio oritur, an hoc, illudve

Epi-

„ Episcopale, vel Papale Decretum, sive Constitutum in suâ „ exequutione Reipublicae noceat, penes solum Principem est „ judicium; quippe qui rerum publicarum utilitates, vel damna „ ponderare, et de iis definire habet. „ Quod hic enuntiat Febronius generatim, et universe de Papalibus, aut Episcopalibus Decretis, et Constitutis quoad exequutionem, idem eâdem de caussâ, eodem jure transferri potuisset ad Apostolica, et alia Ecclesiastica Decreta, quae olim per tercentos annos in Ecclesiâ obtinuerunt. Id porro, quemadmodum *Duce Canone* probari possit, Febronio dispiciendum relinquimus.

Tertium: „ Quum ambae Potestates, Ecclesiastica, et Ci„ vilis Supremae, et a se invicem independentes sint, sic extra „ jam memoratum casum orto inter utramque gravi dubio, „ controversiâ, seu jurium collisione ea, uti fit in statu natu„ rali, amicâ compositione tollenda erunt. „ At per memoratum casum Ecclesiastica Potestas Civili Potestati, quandocumque huic libuerit, in summis, ac fere omnibus disciplinae capitibus subjici poterit, atque adeo propositae huic amicae compositioni vix locus relinquitur.

In quarto agit de jure Principis ad protegendos *contra violentiam Subditos suos oppressos, si contingat, Judices Ecclesiasticos suâ potestate abutentes Subditos Regis violenter opprimere.* Eo casu Febronius ait: „ Nequaquam ab officio Regis alienum „ fore, etiam illis contra has violentias Regiam protectionem „ annuere, et manum auxiliatricem extendere. „ Equidem haud alienum est ab officio Regis Subditos suos tueri adversûs injustam violentiam ab iniquo etiam Ecclesiastico Judice illatam. Verum Religioso Principi facultas non deerit, ipsaque Religio viam, rationemque praescribet, quâ et efficaciter, et nullo Religionis, Ecclesiaeve detrimento Patrocinium suum ad Canonicam injuriae reparationem interponere, atque adhibere valeat. Consulendae porro animadversiones *in Cap. 2. Synopsis Hist. Eccles. IV. Saeculi Natalis Alexandri* §. 3., ubi latius eâ de re disseritur.

Quintum: „ In iis causis temporalibus, in quibus exemtio „ Clericis ab Imperatore concessa, et facultas judicandi Consi„ storiis Ecclesiasticis tributa est, Consistoria nomine Imperan„ tis, non Ecclesiae judicant. „ Cujus generis sint Causae istae temporales Febronius non explicat; Suspicionem aliquam non

non bene affecti animi movere possunt, quae quum multis locis, tum in superioris Positionis explicatione commemoravit de Cleri exemtione a judicio Civili, de Foro Ecclesiastico exteriore, de jure Asyli; breviter illa quidem, et ex multorum, ut ait, Doctorum sententiâ, sic tamen, ut viam aliquam muniant ad ea tollenda, quae firmissime retinenda Canones omni tempore sanxerunt. Quam dispar sit de hisce rebus, deque universâ pene Ecclesiasticâ jurisdictione Febronii, ac Tridentini praesertim Concilii mens, et sententia, plus forte, quam opus foret, quum ex aliis locis, tum ex hoc ipso Commentario conjici, seu potiûs perspici potest. Quod si par est credere, Sacram Œcumenicam Tridentinam Synodum suis in condendis Decretis Divini ejus Spiritûs afflatu gubernatam esse, in quo illa fuit legitime congregata; si ex aliâ parte alius fuit in hoc scribendo Commentario Febronii sensus; quo ille Spiritu inductus sit ad scribendum, Ecclesiastico, an alieno, aliorum sit potiûs, quam meum judicium. Unum velim, pro sincerâ dilectione, qua Eum velut Fratrem complector, velim, inquam, Febronium non pigeat ad Trevirensem Historiam Myriophitani Episcopi sese referre. Ponat sibi ante oculos Praesules illos Sanctissimos, quos, ut supra vidimus, meritis ille laudibus extollit, qui spectatissimam Trevirensem Ecclesiam Sanctitate, Doctrinâ, Miraculis (cur etenim res tam praeclaras, neque unquam obliterandas memoriâ non saepius repetamus, ac celebremus?) illustrarunt; Cogitet, quid illi senserint de Ecclesiasticâ libertate, potestate, in omnibus causis Ecclesiasticis immunitate; quae ab illâ priscâ origine de Romani Pontificis Primatu, et Auctoritate Traditio, et Sententia fuerit amplissimae Trevirensis Ecclesiae. Demum statuat, utrum dignius Episcopo sit ex sacris illis fontibus, an ex turbidis Launoji, Dupinii, quorum hominum nulla unquam fuit in Ecclesiâ auctoritas, turbidis plane rivulis, de summis illis Doctrinae, ac Disciplinae Capitibus, quae ille tractanda instituit, veram, et sanam sentiendi rationem haurire.

FINIS

ADDITAMENTA

I. ADDIT. AD PAG. 5.

Verb. *Civiliter Indifferentia* lin. 22.

Absit, ut universe Suspiciosum habeatur quidquid non quidem vi suâ, sed pro ratione sui generis dici aliquo pacto valeat *civiliter non indifferens*. Evolvenda proinde ambiguitas, quae in hâc suboscurâ et indefinitâ Febronii Sententiâ latere videtur, ne quisquam minus acriter intelligens inani quâdam specie veri deceptus in fraudem inducatur. Itaque si genus ipsum spectes, non immeritò dixeris, earum rerum, quae ad humanae vitae cultum pertinent, procurationem pro communi utilitate illorum potestati subjici, qui praesunt Reipublicae; proptereaque, si genus ipsum spectes, recte dici hoc valeat *civiliter non indifferens*.

Verum multa sub eo genere sunt, quae quum nullum offensionis periculum afferant, sic in liberâ omnium facultate esse censentur, ut illis jure suo quisque utatur, prout libitum sibi fuerit. Nec sane quidquam interest Reipublicae, quibus quisque frugibus, quae palam veneunt; carne, an oleribus vesci malit; propriis, an conductis aedibus habitet; nitidiore, an obsoletiore veste indutus incedat; fictis, an suis capillis utatur; ut infinita alia praeteream, quae ultro se offerunt in humano convictu, quaeque singulorum arbitrio Populorum omnium legibus, ac moribus permittuntur.

Sed, ut grandiora exemplà promamus, quae propius institutum nostrum attingunt; Certe Christus Dominus, ac legifer noster Sacram Eucharistiam, quâ nihil in Religione Sanctius, in pane triticeo, ac vino de vite et confecit ipse, et in omne futurum tempus conficiendam praecepit: De oleo cum oratione ad salutare infirmorum subsidium a Presbyteris Ecclesiae adhibendo extat Divinum a Jacobo promulgatum institutum: Afflatu Spiritûs Sancti lex ab Apostolis condita est abstinentiae a suffocato, et sanguine: Conveniendi ad Sacram Mensam ordinem, ac modum praescripsit Apostolus: Sanctissimi Christi Martyres palam saepe

professi sunt, sibi nefas esse non ad *Collectam*, seu *Dominicum*, quod vocabant, convenire; seque mori potiùs paratos esse, ostendebant, quam id officii desererent, a quo ex Religionis contemtu abstinere jubebantur; quâ de re praeclarum extat Augustini testimonium (Brevic. Collat. cum Donatistis sub die 3. c. 17.). Qui tamen conventus ita peragebantur, ut post diligentem investigationem Plinius ipse junior testatum reliquerit, nihil se in illis comperisse, quod vel minimam suspicionem afferre posset; quin potiùs Christianos ad cultum Christo, velut Deo, tribuendum convenire statâ die consuevisse, ut inde ad severiorem quamdam innocentiae, modestiae, probitatis, continentiae legem sese adstringerent.

Hinc jam quaero ex Febronio, num propterea quia panis, vinum, oleum, suffocatum, et Sanguis, alia hujusmodi, quae commemorata sunt, sub eo genere continentur, quod genus per sese dicitur, et est *civiliter non indifferens*, num, inquam, existimandum sit, non potuisse Christum sine Reip. injuriâ Eucharistiam in pane, et vino conficere, conficiendamque praecipere? Fasque adeo esse publicae Potestati praescriptam a Christo materiam immutare; aut abstinentiae legem, sive quam Divino afflante Spiritu Apostoli tulerunt, sive quam ei postmodum Ecclesia substituit, abrogare; an potius ipsismet Imperantibus, qui se Filios Ecclesiae profitentur, religioni esse debeat, Sacras istas, piasque institutiones non amplecti modo, verum et totis viribus tueri, ac defendere, quae quum per se ad pietatis studium, morumque honestatem promovendam pertinent, valentque plurimùm; tum et id efficiunt, ut communi religionis vinculo adstricti Populi, communibusque salutaris disciplinae legibus parere assueti, hoc ipso ad reliqua omnia vitae civilis munia obeunda paratiores, atque erga legitimae cujusvis potestatis jussa, et imperia obsequentiores evadant? Quâ de re si unquam alias, hoc certe tempore dubitare nefas, quum ex perruptis Sacrorum juribus celerem adeo videamus progressum factum esse ad jura omnia invadenda, et pervertenda, quibus omnis bene constituta Reip. gubernatio continetur.

AD-

2. *ADDIT. AD EXTREMAM PAGINAM* 22.

Contigit haud raro, ut quae loquendi formulae apud veteres omni suspicione vacabant, tum demum in suspicionem meritò venerint, posteaquam novandi cupidi homines in pravum eas sensum inflectere coeperunt. Profecto quam ex veterum Theologorum Sententiâ V. Bellarminus Monarchici regiminis formam in Ecclesiasticâ Hierarchiâ descripsit, aliquâ tamen Aristocratiae specie temperatam, nihil sane per eam detractum voluit de Supremâ eâ Romani Pontificis in universâ regendâ Ecclesia auctoritate, quam ille tam docte, tam copiose, invicteque asseruit, quae nimirum numeros omnes habeat verae, perfectaeque Monarchiae; quod satis liquere arbitror ex his, quae ad hujusce loci explanationem superius dicta sunt. Nunc vero quum tot iniqui Pontificiae Auctoritatis obtrectatores illam Aristocratiae admistionem sic per summam calumniam interpretentur, ut non alias Pontifici partes in Ecclesiae regimine relinquant, quam quae propriae sunt Principis Senatûs, seu publici Consilii in Republicâ mere Aristocraticâ, jure, ac meritò censent praestantes Theologi, quo errori aditus omnis praecludatur, ab usurpatâ dudum sine discrimine loquendi formulâ, nunc in gravem suspicionem adductâ, penitus abstinendum, simplicisque Monarchiae vocabulo Supremam, quae in Primatu inest, regiminis auctoritatem designandam.

3. *ADDIT. AD INIT.* Animad. in Pos. 2. pag. 27.

„ Quas Claves Christus Petro dedit principaliter, eas caeteris quoque Apostolis, et eodem quidem actu a Christo datas „ esse „. Sententia est Febronii, quam ille paucis, quas profert Patrum auctoritatibus, satis comprobatam putat. Quae tamen auctoritates aperte quidem confirmant, Claves *principaliter* Petro datas esse; non item uno, eodemque actu ceteris quoque datas.

Certe ab hâc Sententiâ penitus dissentit Cl. Bossuetius; quodque notandum est, celebri eo Serm. *de Unitate*, quem habuit in Comitiis Cleri Gallicani an. 1682. Nimirum animadvertit, Christum

stum, qui Petro dixit: *Quodcumque ligaveris etc.*: hoc idem et ceteris Apostolis dixisse; et insuper: *quorum remiseritis etc.* An vero uno, eodemque actu? Immo ex contextu ipso manifestum, ait, apparere consilium Christi (quo Mysterium unitatis completurus non jam plures, sed unum, et solum Petrum singulariter alloquitur), consilium, inquam, fuisse Christi, „ ut uni „ primitûs largiretur, quod pluribus erat postmodum largiturus: „ sic tamen, ut posterior concessio nil de priore detraheret, nec „ ille, qui primûm appellatus fuerat, locum suum amitteret: „ Primum, (pergit Bossuet) illud verbum: *quodcumque ligaveris*: uni dictum hoc ipso sub ejus potestatem redegit ceteros, quibus postea dicturus erat: *quorum remiseritis etc.* „ Quippe promissa Christi non secus, ac ejus dona, sunt sine poenitentiâ; quodque semel indefinite, et universe datum „ est, irrevocabile est: praeterquam quod in potestate, quae „ in plures dividitur, partitio suam secum ipsa *restrictionem* af„ fert: Contra vero potestas, quae et uni datur, et super o„ mnes, et sine ullâ exceptione datur, infert plenitudinem; et „ sicut omnis est expers partitionis, non alios habet limites, „ quam quos regula praescribit. „ Atque hoc ipsum confirmat Bossuetius luculentis Patrum auctoritatibus, quibus edocemur, Ecclesiasticam auctoritatem primitûs in Petro uno, et solo constitutam non aliter in alios fuisse subinde dispertitam, quam sub eâ conditione, ut ad suae unitatis principium perpetuô revocaretur, atque omnes, a quibus exercenda foret omni consequenti tempore, ipsi eidem Cathedrae indissolubili vinculo devincti manerent.

Praeclarae hujusce doctrinae, quam ex Evangelio ductam, Patrum auctoritate roboratam Cl. Antistes latiûs exposuit, summa refertur ad haec duo capita. 1. Ecclesiasticae potestatis plenitudinem super omnes, et sine ullâ exceptione uni, et soli Petro primitûs a Christo datam; idque antea, quam in alios Apostolos diffunderetur: quo uno refellitur Sententia Febronii ajentis, uno, eodemque actu potestatem Clavium Petro, et ceteris Apostolis datam esse.

2. Per illam partitionem, quâ potestas Clavium in ceteros Apostolos deinceps diffusa est, nil detractum fuisse de potestatis plenitudine, quae primitûs in uno, soloque Petro viguit sine ullâ exce-

exceptione super ipsosmet Apostolos, quos Christus primâ illâ singulari alloquutione Petro subjecerat.

Quid ex duobus hisce capitibus consequens sit, patet jam per se se. 1. Si primitûs in uno Petro tota viguit plenitudo Ecclesiasticae potestatis, tum profecto unus Petrus utpote solus Dux, et Pastor universi Gregis ordinariam certe, et immediatam in universâ Ecclesiâ jurisdictionis potestatem obtinuit. 2. Si partitio, quae subinde facta est in ceteros Apostolos, nil detraxit de pristinâ illâ plenitudine in solo Petro primitûs collocatâ, certe Petrus, posteaquam ceteri etiam Apostoli potestatem Clavium accepere, totam quoque retinuit pristinam illam super universum Gregem ordinariae, et immediatae jurisdictionis amplitudinem, quam cum plenitudine potestatis super omnes, et sine ullâ exceptione primitûs acceperat.

Tota vis argumentationis ex hoc uno capite pendet, quod praeclare est a Bossuetio constitutum, Petrum ante omnes ceteros Apostolos potestate Clavium a Christo donatum fuisse. Quo loco mirum profecto, Adversariis nostris, dum Primatum Petri obscurare moliuntur, talia excidisse, quae plane convincunt contra ipsos, totam vim Ecclesiasticae potestatis in uno Petro primitûs reapse constitisse! Auctor libelli, cui mendacissimâ inscriptione titulus additus est *Vox veritatis*, extremâ p.*66*.scribit, notatum ab Augustino fuisse, „ festo die illo, quo celebratur Ca- „ thedra S. Petri, honorari Cathedram Episcopalem, quam Pe- „ trus ipse primus conscendit, in eâdemque honorari Sacerdota- „ le Ministerium, quasi hoc vellet intelligi, omnes Episcopos, „ Pastores omnes in eâ ipsâ Cathedrâ sedere, in quâ Petrus est „ primus collocatus. „ Luculentiûs etiam alterius libelli Auctor, cui titulus: *Riflessioni sopra il Breve &c.*, cujus haec verba sunt §. 58, „ Quemadmodum Epist. *71*. et *73*., et lib. de „ *Unitate Ecclesiae* docet S. Martyr Cyprianus, ante ceteros „ omnes Apostolos ab Jesu Christo S. Petrus accepit Sacerdotium, „ et solus inter omnes, ac pro omnibus Clavium potestatem ac- „ cepit, ut hoc pacto significaretur Sacerdotalis unitas. „ Profecto si S. Petrus Cathedram Episcopalem primus conscendit; si primus in eâ collocatus fuit; ergo antequam alii conscenderent, primus, et solus Cathedram Episcopalem Petrus tenere debuit; atque adeo in se potestatem colligere, quae in totâ viget Cathedrâ Epi-

Episcopali. Rursum si Petrus Auctore SSmo Martyre Cypriano primus, *et ante ceteros omnes Apostolos* Sacerdotium accepit a Jesu Christo, tempus ergo fuit aliquod, quo tempore, quum solus totâ potiretur in toto Grege Sacerdotii plenitudine, totam quoque habuit in totâ Ecclesiâ ordinariam, et immediatam jurisdictionem, cujus nemo adhuc alius particeps effectus fuerat.

Ac ne quis in hujusce *Sacerdotii*, de quo hîc agitur, intelligentiâ haereat forte, aut aberret; notandum, duplicem esse in Sacerdotio vim, et potestatem; unam in Corpus Christi verum; quae communis est totius Ordinis Sacerdotum etiam inferiorum, quam Apostolos omnes accepisse in Coenâ, Sacerdotesque a Christo constitutos esse constat ex. Tridentino Sess. 22. Can. 2.. Alteram in Corpus Christi Mysticum, quae quum ad regimen pertineat, potestas dicitur jurisdictionis, eaque nimirum in Episcopatu, tamquam in Sacerdotii plenitudine potissimûm eminet. De hàc intelligendus Tertullianus, quum ante Cyprianum scripsit (Scorp. c. 10.): „ Claves Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse: „. Cyprianus in Tertulliani scriptis multum versatus: Optatus Milevitanus de Schism. Donatist. l. 7. c. 3. docens, „ Petrum praeferri Apostolis omnibus meruisse, et Claves Regni Coelorum communicandas caeteris Solum accepisse. „ Quo et referri possunt celebres illae Sententiae Siricii (Epist. 5. ap. Coustant): „ quum in unum plurimi Fratres convenissemus ad „ Sancti Apostoli Petri reliquias, per quem et Apostolatus, et „ Episcopatus in Christo coepit exordium; „ Innocentii I. (Ep. 2 num. 2. ap. Coustant): „ Incipiamus igitur adjuvante Sancto Apo„ stolo Petro, per quem et Apostolatus, et Episcopatus in Chri„ sto coepit exordium; „ Caesarii Arelatensis Symmacho Papae scribentis Epist. 14. num. 2.: „ Sicut a personâ beati Petri Apo„ stoli Episcopatus sumsit exordium &c. „

Nunc, ut ad Bossuetium redeamus, unde tota haec disserendi ratio profecta est, summa doctrinae Cl. Antistitis hàc brevi conclusione comprehenditur: Uni, et soli Petro primitus data est a Christo potestatis plenitudo super omnes, et sine ullâ exceptione: Primitûs ergo Petrus habuit ordinariam, et immediatam jurisdictionem super universum Gregem, ac nominatim in ipsosmet etiam Apostolos, quos alloquutione illâ primâ Christus sub Petri potestatem redegerat. Atqui nil postea detractum est de totâ illâ pote-

te-

testatis plenitudine, quam semel, et sine poenitentiâ Christus in Petrum contulit. Ergo si primitûs Petrus cum potestatis plenitudine ordinariam super omnes, et immediatam jurisdictionem accepit, eam postmodum in Successores prorogandam retinuit.

Quae quidem datâ occasione praemunienda censuimus, in ea deinceps loca transferenda, quibus de potestate jurisdictionis sermo recurret.

4. *ADDIT. AD PAG. 31.* §. Quod attinet &c.

Fatetur Febronius, quod per sese perspicuum est, poenas Canonicas ab Ecclesiâ jure suo statutas fuisse: quippe quae a primis jam Ecclesiae Saeculis decretae fuerint, quo tempore quum Ecclesia modis omnibus a Saeculi Principibus vexaretur, nihil sane juris, aut potestatis veniâ eorum, vel concessione nancisci potuit. Porro poenae istae Canonicae Canonum auctoritate publice in Ecclesiâ sancitae non in solâ interiori poenitentis animae castigatione sistebant, sed et reos ipsos in exteriore judicio convictos, vel confessos publicis corporalibus afflictationibus perferendis addicebant; Quas justas, debitasque poenas persolvere illi tenebantur, quibus erant impositae, ut eas per contumaciam evadere non possent, quin se novo scelere obstringerent. Quo patet, quam alienum sit, quod ab Ecclesiasticae auctoritatis obtrectatoribus afferri solet, primis illis temporibus liberum fuisse, prout cuique libuisset, poenis indictis subjicere sese, aut subtrahere; Nec enim, si de justâ libertate agitur, libera dici valet justi praecepti violatio; Nec impositâ lege solutus, ac liber est existimandus, qui, etsi possit impune non parere, non ideo solvere se potest obligatione parendi. Nulla quippe justa libertas contra praecepti obligationem. Propterea, si quibus erat imposita poena Canonica, latae in eos Sententiae parere tenebantur, debita haec in subjectis parendi obligatio vigentem in Praepositis demonstrat ferendae Sententiae auctoritatem legitimam. Quo magis, magisque constat, a Deo in Ecclesiam manasse potestatem, quâ semper usa est, disciplinae non modo constituendae, sed et consentaneis poenis sanciendae, quam absonum foret Principum indulgentiae in illis primordiis acceptam referre.

5. *ADDIT. AD PAG. 31. lin. 36.*

Verb. Christianae Societatis &c.

Nonnihil etiam ambiguitatis habet, quod subjungit Febronius, *privationem juris Christianae Societatis*, quâ excommunicatio continetur, *ea dumtaxat bona spectare, quae a Societate istâ quâ tali promanant*. Nam si hoc ita vult intelligi, quasi excommunicatio non aliam privationem inducat, quam ut excommunicatus a Sacramentorum perceptione, et a communione in Divinis cum Fidelibus arceatur, profecto repugnat Apostolicae Sanctioni, quâ excommunicati a civili etiam fidelium consociatione arcentur; cujus exterioris poenae infligendae auctoritatem Ecclesiae non denegabit, quisquis meminerit Apostolici praecepti: *cum ejusmodi nec cibum sumere*: atque ut est apud Johan.: *Nec ave ei dixeritis*. Quâ in re permultis Ecclesiae legibus, et a doctissimis Viris diligenter, et accurate pertractatâ non est hujus loci diutius immorari.

6. *ADDIT. AD INIT. Animad. pag. 32.*

Nil antea notandum censueram in eo, quod monet Febronius, Romanum Pontificem, dum Caput Ecclesiae dicitur, non caput *Essentiale*, ac principale, quod Christus est, intelligi oportere, sed *Ministeriale*: Quippe ex antecedentibus recte id intellectum a Febronio videri poterat. At mirum, quanto studio proximis hisce temporibus distinctionem illam urgere coeperint Pontificii Primatûs Oppugnatores rati, se terrificum quid in illo *Ministerialis* Capitis vocabulo reperisse, quo ea, quae inest in Capitis appellatione, dignitatis amplitudo non imminuatur modo, sed et penitus dejiciatur! Inepti, qui se tam insolenter jactant in unius captiosae vocis ambiguitate, quae nullo negotio depellitur. Etenim ministerialis isthaec appellatio una est ex illis vocibus, quae ad aliud referuntur, ut proinde, quae sit cujusve ministerialis officii ratio, intelligi nequeat, nisi perspectum sit, quo principali auctore, cujusve muneris fungendi caussâ sit illud ministerium demandatum. Quare ad rectam hujusce appellationis intelligentiam, quum Romano Pontifici tribuitur, quaerendum ante omnia est, cui principali auctori, et quâ de

de caussâ sit Romani Pontificis ministerium referendum. Quaestio nec obscura, nec difficilis. Quippe idem est, ac quaerere, utrum ne Petrus a Christo, an ab Ecclesiâ Caput sit Ecclesiae constitutus? Jam quis Catholicus dubitet, quin Petrus non a Grege, non a coetu Fidelium, non ab Apostolis, aut Discipulis, quos omnes prima Christi alloquutio illi subjecerit, sed ab ipsomet Christo fuerit Vicariâ potestate in terris relictus, qui Gregis pascendi, Fratres confirmandi, Ecclesiae totius regendae curam, ministeriumque susciperet? Quod si verum est dicere de Petro, verum quoque necesse est esse de Petri Successoribus Romanis Pontificibus, in quos transit eadem ministerii potestas, quam a Christo Petrus accepit. Ita scilicet a Concilio Florentino definitum est: „ Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontifi„ cem in universum Orbem tenere Primatum, et ipsum Pontifi„ cem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolo„ rum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et „ omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere; et ipsi „ in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi Universalem „ Ecclesiam *a Domino Nostro Jesu Christo* plenam potestatem „ traditam esse.„ Capitis ergo *ministerialis* tota vis, et ratio in Petro, Petrique Successoribus hoc unum prae se fert, Petrum prae ceteris electum ceu Christi verum Vicarium, et Ministrum, qui Christi vice, nomine, ac potestate ab uno principali Auctore Christo accepta toti Ecclesiae regendae, et gubernandae praeficeretur.

Atque hoc ipsum de Petri Successoribus Romanis Pontificibus ex aequo valere, si forte minûs auctoritate Florentini Decreti adversariis nostris persuadere possumus, auctoritatem certe non detrectabunt Auctoris ejus *Defensionis*, quem *tamquam Sydus Ecclesiae recentius nunquam se deserturum* Febronius ipse profitetur Posit. 11. p. 72., Eum igitur, velim, audiant sic scribentem Part. 3. lib. 10. c. 5.:Romanam Ecclesiam *ex avitâ, atque Apostolicâ Traditione eo jure, eâ dignitate esse, ut quemcumque sibi, eumdem etiam Ecclesiae universae Ducem, Pastoremque eligat*. Quod si ex Apostolicâ Traditione id juris habet Romana Sedes, ut qui ei praeficitur, hoc ipso Dux, et Pastor Ecclesiae universae constitutus intelligatur, profecto et hoc intelligitur, humano quidem facto evenire, ut unus prae alio Pontifex Romanus eligatur, non tamen humano, ac mutabili, sed plane Divino, et immutabili

ure sta tutum esse, ut qui est in Petri Sede locatus, ut Christi Vicarius, ac Minister, non secus ac Petrus, totâque Petri a Christo acceptâ auctoritate toti praesit Ecclesiae.

Hâc significatione, quae una se offert Catholicis auribus, Catholici Doctores, qui hanc vocem Capitis *ministerialis* interdum usurparunt, non aliud conceptum animo gerebant, quam hoc unum, quod dictum est, Petrum hoc ipso, quod Vicarii, atque adeo Ministri Christi personam gereret, vicariâ quoque, atque adeo *ministeriali* a Christo tamquam principali auctore acceptâ potestate in Ecclesiâ regendâ praeditum fuisse. Qui vero nativam hanc significationem in alienam per insignem fraudem detorquent; quasi Petri Successores non, ut Petrus, immediate a Christo, sed ab Ecclesiâ ministerii potestatem accipiant, quo in Ecclesiae gubernatione funguntur, ii turpiter, et impie desciscere convincuntur a Verbi Divini quum scripti, tum traditi auctoritate, quam permultis prolatis, iisdemque aptissimis testimoniis Febronius ipsemet Posit. 1. luculenter asseruit.

Quamquam nec a Pontificiae dignitatis amplitudine alienum est, ut hâc significatione Pontifex dicatur Ecclesiae Minister, quatenus non pro se, sed pro Ecclesiâ ministerii potestas est a Christo instituta. Quod et Apostoli testimonio declarari potest (Colos. 1. v. 7.): *Sicut didicistis ab Epaphrâ charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis Minister Christi Jesu*: quo a Christo profecta ostenditur ministerii potestas, quam per Pauli missionem Epaphras acceperat. Additur: *et pro vobis*, quo declaratur pro salute quidem Fidelium, non tamen a Coetu Fidelium ministerii munus illis esse demandatum, qui regendis Ecclesiis ex Christi instituto ab Apostolis praeficiebantur.

7. *ADDIT. AD PAG.* 45. §. Quae et si perspicua etc. *lin. ult.*

Ad testimonia, quae ex Thomassino, et Natali Alexandro protulimus, alia liceat adjungere petita quum ex certis Bossuetii operibus, tum ex ipsâmet *Defensione*, quae vulgo, nec sine aliquá cl. Antistitis injuriâ, ei tribuitur.

Duo ille in primis docet digna, quae suis momentis accuratissime ponderentur. Ac primûm quidem, unitatis Catholicae vinculum communione cum Sede Apostolicâ maxime contineri; quod et universa Ecclesia Patrum edocta traditione constantissime profitetur. Al-

Alterum est, quod eximio libello *Refutationis Catechismi Paulli Ferry* Sect. I. Cap. I., cui titulus *Prima Veritas*, jacit velut fundamentum totius disputationis, vim hanc, et rationem esse Communionis Ecclesiasticae, cujus necessitatem heterodoxus ille fatebatur, ut consensionem *in credendo* prorsus requirat: *Qui communionem dicit*, (verba sunt Bossuetii) *societatem dicit fidei: quippe firmissimum vinculum, quo Ecclesiastica communio adstringitur, professio est unius, ejusdemque fidei*.

Hoc ipsum luculenter confirmant, quae scripta leguntur in *Defens. Part. 3. l. 10. c. 6.*, quo loco de Petri Cathedrâ Romae constitutâ speciatim disserens ait: „ Quae proinde Cathedra, „ si concidere posset; fieretque jam Cathedra non veritatis, sed „ erroris, et pestilentiae, Ecclesia ipsa Catholica non haberet „ Societatis vinculum; jamque Schismatica, ac dissipata esset, „ quod non est possibile „.

His positis unâ, vel alterâ brevi conclusiunculâ tota res conficitur: Ex Bossuetio Communio cum Apostolicâ Romanâ Sede vinculum est unitatis Catholicae, cui proinde quisque inviolate adhaerere debeat; Sed hujusmodi communio secum ipsa infert consociationem in credendo, seu consensionem in fide. Ergo et haec in fide consensio cum Apostolicâ Romanâ Sede vinculum est potissimum Unitatis Catholicae, a quâ consensione proinde recedere nemo valeat, quin simul ab unitate discedat. Ad majorem explicationem alio modo, et quidem plane invicto; Si, quod Bossuetius velut Catholicum Dogma rite defendit, sancte adeo praescripta est cum Romanâ Sede communio, ut abrumpi haec nequeat, quin solvatur vinculum Societatis, unitatisve Catholicae; Si Auctore ipso eodem Bossuetio communio haec unius, ejusdemque fidei professione maxime continetur, istud profecto consequens est, ut, quemadmodum a communione cum Romanâ Sede, ita nec ab ipsius Romanae Sedis Fidei professione, nullo tempore, nullo casu liceat unquam desciscere. Liceret autem, si Romana Sedes aliquando in fide errare posset. Fieri ergo nunquam potest, ut erret aliquando in fide Romana Sedes.

Altera conclusio: Ex allatâ *Defensoris* doctrinâ si Cathedra Romae constituta desineret Cathedra esse veritatis, fieretque Cathedra erroris, Ecclesia ipsa Catholica jam non haberet Societatis vinculum, jamque schismatica, ac dissipata esset: Atqui nul-

lo unquam vel minimo temporis intervallo Ecclesia Catholica potest non habere Societatis vinculum; Schismatica esse, ac dissipata. Ergo nullo unquam vel minimo temporis intervallo evenire potest, ut Romana Cathedra desinat esse Cathedra veritatis, fiatque Cathedra erroris, et pestilentiae. Quod profecto de nullâ aliâ singulari Cathedrâ dici potest.

Jam vero, si vel ipsum *Defensorem* audimus, Romanae Cathedrae fides neutiquam secerni potest a fide, quam in eâ Cathedrâ praedicant, ac docent Romani Pontifices: quippe ait cap. 5.: „ Neque vero distinguimus a Romanorum Pontificum fide Romanae Ecclesiae fidem, quam scilicet non aliter, quam a Petro primô, atque a Petri Successoribus Romani didicerint „. Ergo, nisi a se ipse dissentire velit, fatendum ei omnino est, quae de inviolatâ Ecclesiae Romanae fide superius conclusa sunt, perinde valere de fide, quam a Petro acceptam in ipsâ eâdem Sede, et Cathedrâ docent, ac praedicant Petri Successores, Romani Pontifices.

Nimirum illud est, quod ab Apostolicis usque temporibus gravissime docet, ac testatur summae Vir auctoritatis Lugdunensis Antistes Irenaeus l. 3. c. 3., Romanorum Pontificum ordinatione, et successione (quos ille a Petro ad Eleutherium singulatim recenset) eam, quae *ab Apostolis est traditio*, *et veritatis praeconatio* ad sua usque tempora pervenisse, quâ non exortae modo, sed exoriturae quandocumque haereses profligarentur. Quod si huic successioni Divinâ Ordinatione praeconium veritatis commendatum est ad ultima usque tempora propagandum, atque adversûs omnes haereses valiturum, necesse est, ut, quemadmodum nullâ unquam erroris labe infici potest veritatis praeconatio, ita et ab omni semper suspicione erroris abesse successionem illam, cujus praedicatione praeconium veritatis, ut a Petro ad Eleutherium, sic et ab Eleutherio ad extremum ad quasque perimendas haereses divinitus est comparatum.

Hoc nimirum est, quod et apertissime confirmat Petrus Chrysologus scribens ad Eutychem, *Petrum, qui in propriâ Sede vivit, et praesidet, praestare quaerentibus fidei veritatem*. Praestat autem, quum per Successores loquitur, qui, ut et ait *Defensor c. 5.*, accipiendi sunt tamquam una persona Petri.

Reverâ Petrum per Leonem loquentem Patres Chalcedonenses,

ses, Petrum loquentem per Agathonem Patres Constantinopolitani (CP. III. Oecum. 6. Act. 18. in Prosphon.) summâ, quâ par erat, veneratione audire se professi sunt: Nempe illi *formam*, quam sequerentur, a Petro per Leonem datam testantur: Isti vero, „ Summus, *inquiunt*, nobiscum concertabat Apostolorum Prin„ ceps: illius enim imitatorem, et Sedis Successorem habuimus „ fautorem, et Divini Sacramenti mysterium illustrantem per „ litteras. Confessionem tibi a Deo scriptam illa Romana anti„ qua Civitas obtulit, et dogmatum diem a vespertinis partibus „ extulit; charta, et atramentum videbatur, et per Agathonem „ Petrus loquebatur „. An vero, qui per Superiores ad Leonem usque, et Agathonem loqui non desiit, in Successoribus aliis putabimus loqui desiisse, aut aliquando desiturum esse, quandocumque in eâdem Sede, ex eâdem Cathedrâ, atque ex ejusdem Cathedrae magisterio, in quâ vivit ille, et praesidet, munere sibi imposito funguntur fidei praedicandae, confirmandorum fratrum, Ecclesiae universae publice, et cum potestate docendae? Absit haec tam insana de illo cogitare, qui Pastor universi Gregis a Christo in aeternum constitutus suscepta Ecclesiae gubernacula nunquam dereliquit. (S. Leo Serm. 2. in Anniv.).

Nunc ut ad ea revertamur, quae superiùs ex opere *Defensionis* excerpta retulimus, quisquis paullo attentiùs advertere voluerit, haud aegre intelliget, quam parum sibi constet, immo quam inconsiderate secum ipse pugnet *Defensor* ille; qui, posteaquam promissioni Christi acceptum retulit, fidem in Romanâ Sede nunquam defecturam, non vereatur promissionis hujusce vim ita deinceps coërcere, ut eam non ad singulos successores, sed ad totam seriem, ac velut successionis summam dumtaxat dicat, esse referendam: nihil scilicet fidei Romanae obesse, si aliquot Pontifices a verâ fide, eique conjunctâ professione aberrent, modo intelligatur, *si Praesidens aberraverit; errorem eum statim repellendum, neque coaliturum* .... *Stat quippe*, pergit ille, *Romana fides ab antecessoribus stabilita a successoribus statim vindicanda, ... atque ut in aliquibus vacillet, aut concidat, non tamen deficit in totum, quae statim revictura sit.*

Perperam omnino. Primùm animadvertere ille debuerat, promissum Christi, si quam vim habet, in eo, et in iis potissimum illam habere, cui, quibusve directò factum est promissum.

Atqui

Atqui promissum Christi: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (Luc. 22.): non ad Romanam plebem, seu gregem factum est, sed ad Petrum, quem singulariter alloquebatur, et in Petro ad Successores, qui fatente *Defensore* unam cum Petro personam constituunt. Igitur promissum illud Christi primariò, et per se in Petro, et in Petri Successoribus id praestat, quod Petro directe promissum est, fidem ejus nunquam defecturam: Secundariò vero in Ecclesiâ Romanâ, quatenus docendà erat a Petro, ejusque Successoribus, eamque proinde fidem esset habitura, *quam a Petro primò, atque a Petri Successoribus Romani didicissent.* Quo manifeste patet, perpetuitatem fidei, quam in Romanâ Ecclesiâ nunquam defecturam *Defensor* agnoscit, a perpetuitate fidei pendere, quae Petro, Petrique, ac ipsius Successorum in eâ Ecclesiâ praesidentium magisterio directe, ac primariò promissa est.

2 Quod ait *Defensor*, promissum Christi ad totam successionis seriem, non ad singulos in successionem adscitos pertinere, commentum id est inane plane, ac futile. Quo enim jure sibi sumit, ut promissum, quod sine limitatione factum est a Christo, quâ ei placuerit, limitatione coërceat? Quasi vis Christi, Summam totam successionis complectens, non eam sicut in toto, sic in singulis partibus ex aequo sustentare valeret. Quid? Quod ita ille concedit, unum, alterumve Pontificem errare posse, tamen ut id retineatur, *errorem eum statim repellendum* adeo, ut dici nequeat, *fidem illam penitus deficere*, *quae statim revictura sit*? Serio ne, an per jocum? Quid igitur? Sic nobis existimandum erit, Christum, qui pro sui promissi constantiâ continuo adsit, ut error *statim* repellatur, et labefactata fides *statim* reviviscat, non potiùs lapsuro subventurum, ne labatur? Quod si promissio Christi, fidem in successione Petri nunquam defecturam prorsus id postulat, ut collapsa quandocumque fides continuo reparetur, non id postulabit, ne ullo unquam tempore corruat? Commenta haec sunt optantium, non cogitata sapientûm.

3 Recolat, quaeso *Defensor*, quam praeclare, quam constanter, ac prorsus invicte Cl. Bossuetius (Pastorali suâ instructione de promissis Ecclesiae) perpetuitatem Ecclesiae, atque in Ecclesiâ veritatis perpetuitatem nunquam defecturam adversûs heterodoxorum calumnias defendat, ac vindicet. Profert illa in medium verba Christi Discipulos alloquentis (Matth. 20.): *et Ecce ego*

te ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Saeculi. Impium foret dubitare, quin Christus, qui et Omnipotens est, et fidelis, constanter id praestet, quod praestiturum se promisit. *At*, inquiet non nemo, *nil obstat, quin Christi promissio intermissionem aliquam patiatur*. Immo vero, regerit Bossuetius, obstat ipsamet promittentis inviolata fides, et omnipotentia. Verba Christi clara sunt, perspicua sunt. Fieri nequit, ut vel puncto temporis praesentiam suam ab Ecclesiâ retrahat, cui se perpetuo praesentem futurum promisit.

At profecto non minus clara, non minus perspicua sunt verba Christi Petro promittentis, fidem ejus nunquam defecturam; quod promissum ad totam Successorum Seriem pertinere *Defensor* ipse non fatetur modo, sed et contendit. Proinde, si locus aliquis esse posset commentitiae illi suae interpretationi, quid respondendum haberet heterodoxo sic obloquenti: Extat utique promissum Christi de fide non defecturâ in Ecclesiâ; sed etiam extare fateris promissum Christi de fide in successione Petri non defecturâ? Atqui, si te audio, hujusce promissi firmitati, et constantiae nil obest, quominus in successionem Petri errores identidem irrepant, modo ne series ex toto, et in perpetuum deficiat. Quidni igitur pari jure dici possit, nil obesse firmitati promissionis Christi de fide non defecturâ in Ecclesiâ, quin vera fides, veraeque fidei praedicatio per intervalla sic interdum obscuretur, ut nusquam appareat, modo simul dicatur Christus providisse, ut praestituto tempore post obscurationem idonei Reformatores existant, quorum operâ, et studio depulsis errorum sordibus depressa veritas emergat?

Nunc vero si heterodoxos in hanc sententiam impie disserentes Cl. Bossuetius acerrime refutavit; si ad firmitatem promissorum Christi retinendam hoc in primis pertinere, constantissime asseruit, ut firmum, ac perpetuum sine ullâ intermissione consistat, quod Christus in perpetuum promiserit, profecto liquet, quam ab hâc mente, hisque Bossuetii sententiis alienum sit, quod persuadere nititur *Defensor*, firmitati promissionis Christi de fide nunquam defecturâ in Petro, quae ad totam successsionem ipso fatente pertinet, nil obesse, quominus in successionis decursu praedicatio veritatis in Petri Sede identidem deficiat, modo ne in totâ successionis serie dilabatur penitus, et effluat,

Dixi, Cl. Antistiti non sine aliquâ ejus injuriâ tribui opus *Defensionis* posse; quod ne temere dictum quis putet, documento mihi est aliquo comprobandum. Unum inter alia seligam, quod ex hoc ipso loco eruitur, unde nobis haec tota exorta est disputatio. Nempe *Defensor*, quô suam probet interpretationem, affert in primis exemplum Petri, quem dicere non veretur, incredulum fuisse, etiam postquam illud audivit: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Sunt haec ejus verba c. 5. „ Nam et Petrus negavit, et „ incredulus fuit, postquam etiam audivit illud: *Rogavi pro te, ut* „ *non deficiat fides tua*, sed statim exurgit confirmaturus fratres. „ &c.. „ Itane vero? Non horruit *Defensor* immanem hunc errorem Bossuetio adscribere, Petrum incredulum fuisse, postquam etiam audivit: *Rogavi pro te &c.* Atqui nec dicere hoc *Defensor* potuit, quin ipse sibi turpiter, apertissimeque repugnaret, qui nimirum capite IV. proxime superiori prolatâ illâ precatione Christi: *Rogavi pro te &c.* ita disserit: „ Est enim primùm Pe- „ trus singularis homo, cui Christus teste Augustino promise- „ rit: *ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissi-* „ *mam, perseverantissimam voluntatem*. „ (De Corrept. et Gr. c. 8. n. 17.) Annon plane immemor sui, qui c. 5. dicat, etiam post Christi precationem incredulum fuisse Petrum, quem c. 4. dixerit, atque Augustini auctoritate confirmaverit, eâ precatione adeptum esse, ut haberet in fide invictissimam, perseverantissimamque voluntatem? Cui testimonio consentaneum aliud est, nec minus insigne (lib. 1. cont. mendac. c. 6. n. 13.): „ Quis ita „ evanescat, ut existimet, Apostolum Petrum hoc habuisse in „ corde, quod in ore, quando Christum negavit? Nempe in il- „ lâ negatione intus veritatem tenebat, et foris mendacium praeferebat. „ In eamdem Sententiam Bossuetius ipse (Medit. in Evang.) exponens illud Lucae 22.: *Ego autem rogavi &c.* „ Quis, „ *inquit*, dubitare valeat, quin hâc precatione Petrus acceperit „ fidem constantem, invictam, immobilem, et insuper adeo „ abundantem, ut potis esset confirmare non vulgus tantùm Fi- „ delium, sed et Fratres suos Apostolos, ac Pastores Gregis? „ Quibus perspectis temere dictum videri non debet, Bossuetio sine aliquâ ejus injuriâ tribui opus non posse, in quo perhibetur ille tale quid existimasse, quod teste Augustino existimare nemo queat, quin prorsus desipiat; quodque suis verbis Bossuetius ipse aperte

aperte refutaverit. Quo plane confirmatur huic *Defensionis* operi, siquidem a Bossuetio informari coeptum est, alienae postmodum manûs operam accessisse, nec tamen ita cautam, ut fraus non ipsa se prodat.

Nec vero hic sistendum; sed insuper, quod magnopere interest, ostendendum, frustra aetatis hujusce Novatores in hâc sententiâ Defensoris praesidium sibi quaerere, quo se se muniant adversûs tot illa Sedis Apostolicae dogmatica Decreta a Pio V. ad Pium usque VI. edita, quae obtrectatores isti velut non iniqua modo, sed et erroris plena per summam impudentiam calumniari, ac traducere non perhorrescunt. Duo nempe statuit *Defensor*; Unum ex ipsâ Evangelii litterâ petitum, perpetuâque Patrum consensione firmatum, promissum fuisse a Christo, verae fidei praedicationem in Petri successione non defecturam: Alterum, quod addit de suo, promissioni Christi non officere, quod identidem unus, alterve Pontifex a verae fidei praedicatione aberret, modo retineatur, *errorem* eum *statim* repellendum; ipsamque fidem, si quandoque in aliquibus Pontificibus vacillet, aut concidat, ab eorum Successoribus *statim* vindicandam, *statimque* adeo revicturam. Tum subjungit: „ Neque porro aliter ad consummationem usque Saeculi in totâ „ Pontificum successione eventurum esse, certâ fide credimus. „ Sic itaque sentit *Defensor*, si quandoque cuiquam Pontifici error aliquis exciderit, *certâ fide* tenendum, fieri non posse, ut error in Successores propagetur, sed futurum omnino Domino providente, ut errore *statim* a Successoribus depulso violata fides *statim* reviviscat. Quam longe porro ab hâc sentiendi ratione discedunt Obtrectatores nostri, qui, dum Apostolicae Sedis dogmatica Decreta continuatâ successione, ut diximus, a Pio V. ad Pium VI. edita erroris insimulant, palam profitentur, id in Romanâ successione jam dudum evenisse, quod contra *Defensor* statuit certâ fide credendum, evenire non posse; quippe error per totam illam continentem seriem propagatus, et confirmatus non statim depulsus fuisse, sed potius coaluisse dicendus esset; jamque a duobus ante saeculis magistra erroris effecta esset illa Romana Cathedra, quae desinere non potest esse Cathedra veritatis, quin soluto Catholicae Societatis vinculo Catholica Ecclesia penitus concidat: Quae portenta Christi pro-

missis, Majorumque traditioni adversa, prorsusque a fide aliena esse, non fatetur modo, sed et constanter docet ille ipse *Defensor*, cujus tota proinde sententia, tametsi eâ parte commentitia, quam superius refutavimus, non modo non suffragatur Adversariorum pertinaciae, *sed et ei plane*, *atque apertissime refragatur*..

8. *ADDIT. AD PAG.* 50. *lin. antipenult. verb.* Quid vero etc.

Fatetur Febronius, a Photio primùm illud invectum commentum esse, non repugnare, quin Primatus a Romanâ Sede divulsus in aliam Sedem transferatur. Quâ confessione nil aptius afferri potuit, quo istud ipsum commentum refutetur; sive quia novum, sive quia ex impuro fonte profectum. Describendum omnino, quod in eam rem rectissime scriptum est a Febronio primo illo suo lib. de *Statu Ecclesiae* c.2.§.3.n.4. „ Inter tot Romanos Pontifices, primorum praesertim Saeculorum, Sanctitate, et doctrinâ conspicuos ne ùnus quidem deprehenditur, qui sibi, aut Ecclesiae suae collatam hanc praerogativam non crediderit, ut esset totius Ecclesiae Caput. E contra intra reliquas omnes Christiani Orbis Ecclesias, illas etiam, quae ab Apostolis fundatae sunt, nullam offendimus, cujus Praesul eo devenerit ambitionis, ut se totius Ecclesiae Caput affirmare, non vereretur uno excepto Photio Constantinopolitanae Urbis Episcopo, qui praeter alia multa, quae per summam impudentiam dixit, scripsit, egit, hoc etiam cum suis affirmare non timuit: *Quando de Romanâ Urbe Imperatores Constantinopolim sunt translati, tum et Primatum Romanae Sedis ad Constantinopolitanam Ecclesiam transmigrasse, et cum dignitatibus Regiis Ecclesiae Romanae privilegia translata esse*. Nicolaus I. Epist.70. ad Episc.Galliae n.7. Ast nullâ id ratione sustineri potuit; et sequuta tempora docuerunt, per translationem Regiae Sedis Ecclesiae Romanae nequidquam de suo Primatu decessisse. Et vero, antequam Byzantium migraret Constantinus, quid Praesulibus Romanis conferebat Imperatorum praesentia, nisi ut vexationum aerumnas, et incommoda, et quascumque saevientium Principum furor inferre poenas poterat, mortem denique ipsam citiùs, ac faciliùs subirent? „

Ita-

Itaque veterator ille Photius inferendae hujusce calumniae de translatâ in Constantinopolitanam Sedem Primatûs dignitate occasionem inde arripuit, quod, quum a Constantino M. Urbs Byzantium nova Roma dicta esset translatis in eam antiquae Romae privilegiis, et ornamentis, Romani quoque Primatûs dignitas a vetere in hanc novam Romam confluxisse censenda esset. Non eo usque progredi ausus est Photius, ut diceret, Ecclesiae Primatum dimoveri a Romanâ Sede, atque in aliam quamcumque transferri posse. Noverat ille, ab Ecclesiae primordiis omnium animis penitus insitum, defixumque esse, in Romanâ Sede, quae Petri Successionem complecteretur, Primatûs dignitatem divinitus, atque adeo inviolate consistere: Ne igitur in hunc perennem, firmum, stabilem Ecclesiae sensum irrumpere velle videretur, subdole simulatam novae istius Romae speciem, imaginemque obtulit, quâ fucum faceret, incautisque persuaderet, non a se Primatum a Romanâ Sede divelli, quod Christianae aures non tulissent, sed in eâ Sede reponi, quae Romana optimo jure censeretur, utpote in eâ Urbe collocata, quae nova Roma effecta omnia veteris Romae decora, et ornamenta collegisset. Ut proinde vel ex hàc ipsâ insigni fraude Photii manifestum prodeat indicium, quam firma, quam rata ad illa usque tempora fidelium persuasio, Ecclesiaeque traditio constiterit, non aliâ in Civitate Primatum posse consistere, quam quae vere, ac proprie Roma diceretur, et esset. Quo uno patet, quam temere prae Photio illorum se se jactet audacia, qui putant, nil sibi opus esse novam Romam quaerere, immo fas esse quemcumque vel in remotissimis Africae, vel Americae plagis, quem opportuniorem judicaverint, angulum deligere, in quem Primatum Ecclesiae amandare valeant. Quâ de re dictum etiam in *Confutatione duorum libellorum etc.*

9. *ADDIT. AD PAG. 52. POS. X.*

Definitioni Concilii Florentini de Romani Pontificis Primatu consentanea innuit esse Febronius, quae de obedientiâ Romano Pontifici debitâ decreta sunt in formulâ fidei profitendae a Pio IV. praescriptâ. De quâ Bossuetio haec adscribit ex l. I. *Defens.* c. I. depromta. „ Certum est, a Pio IV. ea selecta esse

verba

„ verba, quae quaestiones omnes in Scholis quidem Catholicis „ utrinque disputatas relinquant integras; quae autem ad fidem „ spectent, aperte, et sine ullâ tergiversatione decidant. „ Et paucis interjectis „ haec Sanctae fidei summa; caetera, quae de„ inde incurrunt, jam non in fide, sed in quaestione sunt po„ sita, inter Catholicos pacifico animo disputanda. „

Quae sunt in quaestione posita, inter Catholicos pacifico animo disputanda esse, nemo Catholico sensu imbutus abnuerit. Cavendum tamen, ne in omnibus generatim, quae a Catholicis etiam Viris in quaestionem adducuntur, putemus, nil interesse, utri parti Vir Catholicus adjungere se se debeat. Certe Cl. Bossuetius multa, et quidem acriter in Richardo Simonio reprehendit, quae audax ille Scriptor ab omni reprehensione tuta hoc nomine contendebat, quod talia essent, quae nullâ fuissent adhuc erroris labe notata. Quam defensionem probe Bossuetius imprudenti homini eripit hâc praesertim gravi animadversione, nimirum: „ praeter id, quod haereticum directe sit, aut erro„ neum, aut contra fidem; alia esse, quae fidem obscurant; quae „ potentiores ejusdem probationes infirmant; aut eam in suis „ consectariis offendunt, „ ut proinde non satis tutus quisquam sit censendus hoc tantum nomine, quod ea defendat, quae nullo sunt adhuc expresso, ac solemni Ecclesiae judicio damnata. Quod quidem non immerito in multa transtuleris, quae Febronius contra communiorem, verioremque in Catholicâ Ecclesiâ sentiendi rationem *defendenda suscepit*.

10. *ADDIT. AD POS. XIII. pag.* 58.

Ab articulis Cleri Gallicani an. 1682. sumit Febronius. 13. suae Positionis exordium: „ Inter quatuor Articulos, *inquit*, „ quos an. 1682. Clerus Gallicanus tamquam genuinum, et a „ Majoribus acceptum suae Ecclesiae sensum declaravit, postre„ mus hic est: *In fidei quaestionibus praecipuas Summi Ponti„ ficis esse partes, ejusque Decreta ad omnes, et singulas Eccle„ sias pertinere; nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ec„ clesiae judicium accesserit*.

Nostri non est muneris in hâc Febroniani Commentarii susceptâ disquisitione a Febronio ipso in Gallicanos Articulos desilire, atque

atque in eisdem minutatim discutiendis immorari; quod magnâ cum laude multi quidem praestantes Viri, atque inter ceteros Cl. Ursius cumulatissime praestitit. Monendum tamen, vehementer illos fallere, aut falli, qui hos articulos efferunt, quasi editi fuissent velut totidem Gallicanae fidei, vel doctrinae decreta, non ut opiniones, quas *potiores* tantûm, vel etiam *optimas* censuere Gallicani Praesules, sive qui Comitiis illis interfuere, sive qui eos sequuti sunt. Cujus rei, quae forte mira non paucis accidet, expromenda statim auctoritas, quae certam fidem faciat. Profero itaque Bossuetium, seu potius Acta ipsa Comitiorum; quorum excerpta *in praeviâ Dissertatione* ad *opus Defensionis* referuntur. Ibi §. 6. producto responso Cameracensis Archiepiscopi, qui de propositis articulis sententiam suam rogatus per litteras responderat, se illis assentiri hâc adjectâ clausulâ: „ praesertim quod „ non ea esset mens Sacri Conventûs, ut ex illâ Sententiâ de- „ cretum fidei faceret, sed tantûm ut eam *opinionem* adoptaret: „ *tum subjicit Defensor ex actis*: „ Quae probata ab omnibus, et „ ad rei memoriam sempiternam in Acta relata sunt die Junii 19, „ horâ post meridiem tertiâ an. 1682.: „ *ac pergit porro*: „ En „ perspicuis verbis Gallicani Patres testantur, ac probant, non „ eo se animo fuisse, ut decretum de fide conderent, sed ut „ eam opinionem tamquam potiorem, atque omnium optimam „ (nimia profecto confidentia, seu in suo sensu abundantia!) „ adoptarent: Opinionem sane: Non ut Eminentissimus Da- „ guirreus objectabat *Catholicae doctrinae formulam* . . . . . „ Legatur Declaratio, verba expendantur, nihil reperietur, quod „ fidei formulam sapiat. Sane ab initio memorantur Ecclesiae „ Gallicanae decreta: An decreta de fide, ad quae sub anima- „ rum periculo constringantur? De his ne verbum quidem: de- „ creta dixerunt notissimis vocibus, ac latiuissimis, priscam et „ inolitam (*non a primis certe Saeculis ab Irenaeo ad Bernar- „ dum usque*), id est consuetam in his partibus Sententiam, non „ fidem, quâ omnes tenerentur. Idcirco nec piguit Gallos ad „ Episcopatum promovendos datis ad Pontificem Maximum litte- „ ris id vere, id obedientissime profiteri, et subscribere: *Quid- „ quid in iisdem Comitiis circa Ecclesiasticam potestatem*, *et „ Pontificiam Auctoritatem decretum censeri potuit*, *pro non de- „ creto haberi velle*; *mens nempe*, inquiunt, *nostra non fuit*

quid-

„ *quidquam decernere* . „ Quod in ipso Conventu clarâ voce testatos ex gestis vidimus.

Itaque (quod est diligenter advertendum) ipsismet gestis, et actis Parisiensis istius Conventûs manifesti erroris convicta tenetur , et constricta inconsideratissima eorum temeritas, et impudentia, inter quos Auctor libelli, cui titulus, *Vox veritatis*, qui jactant in vulgus (p. 20.) : „ Sacrum Concilium Constantiense „ definiisse tamquam spectantem ad fidem articulum Cleri „ Gallicani, quo statuitur, non esse irreformabile judicium Pa- „ pae, talemque inerrantiam non residere, nisi in Ecclesiâ. „ Certe si Praesules Gallicani hunc suum articulum habuissent velut articulum fidei a Concilio Constantiensi definitum, an illi *clarâ voce* testati essent, nonnisi opinionis loco, quam tantummodo potiorem judicavissent, sententiam illam a se propositam esse, quam jam ante ex Oecumenici Concilii decreto ad fidem spectare agnovissent? Siccine putassent, fas esse articulum fidei in opinionem dumtaxat, vel etiam *optimam* arbitratu suo commutare? Hâc proinde clarâ, perspicuâ, exploratâ Praesulum Gallicanorum confessione prorsus evertitur istorum calumnia, qui Constantiensibus decretis adversûs Pontificis Romani Supremam auctoritatem abuti non desinunt. Quâ de re pleniûs in memoratâ *Confutatione* disseruimus. Ceterum, etsi non sit nobis hoc loco de articulis Gallicanis proposita peculiaris, ac directa disceptatio, seu contentio, quid sit de ipsâ summâ rerum sentiendum, ex his intelligi potuit, quae, ut sese obtulit occasio, in Febronio animadvertenda censuimus.

11. *ADDIT. AD PAG.* 64. §. Nec Propterea etc.

In eamdem Sententiam Patres Oecumenici Concilii V. Collat. 8. : „ Licet enim Sancti Spiritûs gratia et circa singulos „ Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, „ quae agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod „ movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire priûs, „ quam communiter congregati Divinarum Scripturarum testi- „ moniis unusquisque sua dicta confirmaverunt. „

AD-

12. *ADDIT. AD EAMD. PAG.* 64. §. Sed jam promenda etc.

Ineptam explosimus Vol. 2. *Confut.* interpretationem, quâ Irenaèi auctoritati illudere voluisse videtur Auctor libelli inscripti, *Riflessioni sopra il Breve ec.*, dum fidei perpetuitatem in Ecclesiâ Romanâ, quam Irenaèus ex Pontificum Successione repetit, mavult ille ex turbâ repetere cujusque generis hominum Romam pro suis utilitatibus undique confluentium.

13. *ADDIT. AD PAG.* 66. §. *Tertullianus* etc.

Quam subdolê, ac fallaciter Auctor *Analysis lib. praescript.* a Tertulliani sensu in alienum plane Sententiam illius detorqueat de petendâ ex Apostolicis Ecclesiis fidei regulâ, liquido est a nobis Vol. I. *Confut.* demonstratum. Quo ex loco nonnihil etiam lucis iis forte affulserit, quae hîc disseruntur adversûs opinionem, quam veriûs errorem ex communi Theologorum sensu *de notis Theologicis* dici oportuit, eorum, qui statuunt, veritatem sic interdum in Ecclesiâ obscurari, ut in paucis tantum resideat: manifestum, inquam, errorem, utpote, qui aperte pugnet cum Catholico Dogmate de perpetuo aspectabili Ecclesiae statu a Christo constituto.

14. *ADDIT. AD* calc. Anim. in Pos. XIII., et XIV. pag. 70.

Quam probata Patribus Africanis fuerit Innocentii I. Sententia de firmo, rato, stabilique judicio Romanae Sedis in causis fidei, patet ex Epist. Augustini (186.) suo, et Alypii nomine ad Paulinum datâ, quâ de Pontificis rescripto ad litteras Carthaginensis, et Milevitanae Synodi sic loquitur: „ Ad omnia nobis ille „ rescripsit eo modo, quo fas erat, atque oportebat Apostoli„ cae Sedis Antistitem. „ In eo rescripto dixerat Pontifex Divinâ decretum Sententiâ', quod sancte servatum fuerat a Patribus „ ut quidquid (Epist. 181. ad Carthag.), quamvis in disjun„ ctis, remotisque provinciis ageretur, non priûs ducerent *fi*„ *niendum*, nisi ad hujus (Apostolicae) Sedis notitiam perve„ niret, ut tota hujus auctoritate justa quae fuerit, pronun-

 tia-

„ tiatio firmaretur. „ Ad haec rescripti verba, *non priùs finiendum*, quam Sedis Apostolicae auctoritate *firmaretur*, manifeste se refert Augustinus (Serm. 131. de Verbis Evang. Joan. Edit. Maur.), quum memoratis rescriptis, quae de causâ Pelagii Româ venerant, ostendit, causam eam *finitam* esse, posteaquam quod non priùs *finiendum* erat, quam Sedis Apostolicae judicio *firmaretur*, per ea rescripta tum demum firmatum, atque adeo finitum esset. Sic locorum collatione sponte suâ emergit, lucetque per se se Augustini mens in eâ celebri sententiâ, eâdemque clarissimâ; cui quaesitis undique contortis interpretationibus tenebras offundere perperam nituntur Supremae Pontificiae auctoritatis oppugnatores.

15. *ADDIT.AD PAG.77.lin.penult.Verb.*Verum haec etc.

Paucis reverâ tota res absolvi potest. Extat (act. 15.) Apostolorum Decretum, quo Divino afflante Spiritu definita quaestio est de legalibus Antiochiae suborta. Decreti nullo Saecularis Potestatis interventu facta est promulgatio. Peto: justa ne, an injusta? Injustam si dixeris, reum te facis detestabilis, execrandae contumeliae in Spiritum Sanctum, quo Auctore Apostolicum editum est, promulgatumque decretum: quippe scriptum est: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis*. Sin justam fateri cogeris, simul et cogeris legitimam in Apostolis ejus decreti, nullâ aliunde petitâ veniâ, ferendi, ac promulgandi potestatem fateri. Quam potestatem Apostolis divinitus traditam in Successores eodem jure propagatam plane demonstrat vel a primis Ecclesiae Saeculis multiplex illa series, et continuatio decretorum de omni re Spiritali, et Ecclesiasticâ, quae a Conciliis, Pontificibusve nativâ, nec aliunde, quam a Christo quaesitâ auctoritate prodierunt. De hâc Ecclesiae potestate nulli alteri potestati obnoxiâ pleniûs in *Confut.*, et in eâ, quae subsequuta est, *Apologiâ compendiariâ*. Quin et a Febronio plures in rem eamdem auctoritates extremis positionibus prolatas vidimus, quas tamen solitis artibus eludere postmodum, at frustra eludere nititur.

16. AD.

16. *ADDIT. AD PAG. 81. lin. 9. Verb.* Verbis Benedicti etc.

Depromta ex parte videntur illa verba ex Epistolâ Concilii Africani ad Papam Coelestinum, quae extat ap. Labb. Tom. 2, col. 1364. edit. Ven. Sed, quae ibi dicuntur de Appellationibus, detorquet Scriptor ad Relationes, de quibus nulla ibi mentio. Quamquam nec in eâ Epistolâ jus impugnatur appellationum, sed in eis recipiendis rogant Patres, modum quemdam institui. De appellationibus plura quidem in operis decursu congessimus. Verum nunc demum totum id juris in praeclarissimâ Pii VI. *Responsione super Nuntiaturis* luculenter adeo explicatum est; tot invictis ex omni saeculorum memoriâ collectis auctoritatibus, et monumentis comprobatum, ut vel pertinacissimis obtrectatoribus omnem deinceps calumniandi aditum praecluserit.

17. *ADDIT. AD PAG.* 90. §. Subinde agit &c.

Inter caussas extraordinarias convocandi Concilii absque interventu Papae hanc etiam recenset Febronius p. 124.: *Si de eo judicando agatur*. Quo loco minime praetereundum est, excepto casu haeresis, quae tamen in Pontificem nonnisi ut privatum hominem cadere potest, quo de casu V. Bellarminus *de Rom. Pont.* l. 2. c. 30., nullo alio eventu, nullâve de caussâ Pontificem, saltem non dubium, nullius plane sive Concilii, sive cujusvis alterius potestatis judicio subjacere posse. Quod late probat, et exequitur idem Bellarminus lib. cit. c. 26., et post Bellarminum Natalis Alexander Hist. Eccles. Saec. 6. Dissert. 1., tum et Clarissimi ejus Editores *Animadversione subjectâ* §. *unico* sic inscripto:
„ Quae in Romanâ Synodo gesta sunt in causâ Symmachi, quae-
„ que refert (Nat.) ex Ennodio, et Avito, plene demonstrant,
„ Romanum Pontificem nec Synodi Oecumenicae judicio subesse.
„ Alia etiam in eamdem rem adnectuntur. „ Plura et nos in explanationum decursu attulimus, pleniûs etiam in *Confutatione*.

18. *ADDIT. AD PAG.* 91. §. Monet ad extremum &c.

Positionem hanc suam concludit Febronius his verbis: „ Porro dum dicimus, Concilia Generalia suam sortiri firmitatem „ independenter a quâcumque aliâ acceptatione, id intelligimus „ *de Decretis Fidei, et Morum*. „ Ecclesiam constituendae disciplinae potestatem habere nulli alii potestati obnoxiam, manifeste patet vel ex ipso Apostolorum Decreto (act. 15.) paullo supra memorato. In hoc ipso Commentario potestatis hujusce immunitatem Febronius nonnullis locis asseruit, singulariter Posit. I. quod attinet ad electiones, ordinationes, deputationes Sacrorum Ministrorum, ut jam ei integrum non sit ab eâ sententiâ discedere, quin a se ipse dissentiat.

19. *ADDIT. AD PAG.* 96. §. Subinde post &c.

Longe ante Isidorianam Collectionem S. Gregorius M. scribens (l. 9. Epist. 59.) ad Johannem Syracusanum de causâ Primatis Byzaceni narrat, quemadmodum illum, quum in quodam crimine accusatus fuisset, *piissimus Imperator juxta Statuta Canonica per nos* (sic Pontifex) *voluit judicari*. Jam ergo Statutis Canonicis sancitum erat, ut Episcopus, qui esset in crimine, apud Sedem Apostolicam judicaretur. Nec alias partes hâc in re piissimus Imperator sibi sumserat, quam ut vis sua Canonibus constaret. Byzacenus tamen persolutis Theodoro Magistro Militum decem auri libris ei se judicio subduxit. Postmodum mutare consilium visus est, verum utrumne sincere dubitabat Pontifex; an, ut pergit dicere, *quia a Coëpiscopis suis impetitur, nobis modo talia loquatur*. Ac demum subjungit: *Nam quod se dicit Sedi Apostolicae subjici, si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio, quis ei Episcopus subjectus non sit*. Usque adeo itaque certum erat, Episcopum de crimine accusatum apud Sedem Apostolicam esse judicandum, ut Byzacenus palam a suis Coëpiscopis impeteretur, quod contra Statuta Canonica quaereret ei se judicio subducere. Quod vero addit Gregorius, si quâ in culpâ Episcopus invenitur, hoc ipso illum Apostolicae Sedi subjici, satis ostendit, Episcopi Rei judicium ad Apostolicam Sedem nativo, proprioque jure pertinere. Quod

Quod postremis verbis recitat Febronius ex Lamindo Pritanio depromtum: *non* admodum *necessarium hominibus, fidei, et Ecclesiae esse cultum novi alicujus Sancti, fidemque de illius beatitudine coelesti*: praeterquam quod religiosis auribus minûs dignum est, in eo non satis Lamindus attendisse videtur, voluisse Christum, in perpetuâ istâ Sanctitatis continuatione ad finem usque Saeculi prorogandâ perpetuam suae Divinae praesentiae nusquam in Ecclesiâ defuturae notam extare splendidissimam. Fuit hoc nimirum plenum Divinae Sapientiae Christi consilium, et institutum, ut, quum vellet Ecclesiam velut Civitatem in monte positam lucere in oculis gentium omnium, et nationum, nunquam in eâ splendescere desinerent praeclara illa quum Sanctitatis, tum aliarum gratiarum dona, quae missus a se Spiritus Sanctus cumulatissime in Discipulos primitus effudit. Liquet porro ad invictam Divini hujusce instituti, ac promissi fidem, et constantiam declarandam nihil magis pertinere, quam ut perpetuo adsint in Ecclesiâ, qui praeclaris maximarum virtutum ornamentis; qui signis, et prodigiis, quibus manifesta se prodit ostensio Divinae virtutis, admirabilem illam referant, ac repraesentent Sanctitatis formam, et speciem, quae in Majorum documentis, et exemplis haereditariâ quâdam, nec unquam interruptâ successione praeluxerit. Tanti interest sartum, tectumque servari pium istum inveteratum morem, quo per cultum sanctis viris aetatis cujusque delatum mirifica haec Sanctitatis continuatio, quae propria dos est Ecclesiae, solemnibus Decretis testata ad omnem futuri temporis memoriam consecratur, ut proinde, qui de sacrâ istiusmodi actorum auctoritate secus, quam par est, existimant, nae illi videantur non solum beatis hisce regni heredibus, ac domesticis Dei coelestes honores coelesti vitâ partos invidere, sed et non parum detrahere de significatione permanentis ejus in Ecclesiâ Christi praesentiae, quâ per afflatum Divini Spiritûs perennis ei vis indita est pariendi filios, in quibus vita Christi omnium virtutum splendore omni tempore manifestata cernatur.

Certe, quod minime praetereundum est, in hâc singulari Sanctitatis notâ tantus, tamque unius Ecclesiae Catholicae proprius inest splendor virtutis, ut vel infensissimi ejus hostes fateri cogantur, nulli alteri Societati, nulli Sectae contigisse, ut ad hanc laudis praestantiam aspirare unquam licuerit. Hanc sane confessio-

sionem vis veritatis ex ore expressit contumeliosissimi, si quis unquam fuit Catholici nominis obtrectatoris, qui nempe recensens praeclara charitatis officia, quae ex instituto S. Vincentii a Paulo (1) delicatae, ac nobiles Puellae sublevandis aegrotantium miseriis impendunt, in hanc vocem erumpit: fatendum nullibi praeterquam inter Catholicos tantam prodere sese admirabilitatem virtutis. Qui si paullum in se rediisset, id quoque sibi fatendum esse perspexisset, nonnisi munere prorsus Divino insigne hoc decus Ecclesiae Catholicae obvenire potuisse, ut amplissimarum, quae supra humanam conditionem eminent, virtutum una Sedes esset; unum, perpetuumque constitutum domicilium.

Quae, ut graviore, seu potius ratâ certâque auctoritate firmentur, praestat illustre documentum adscribere, idque honoris caussâ, ex iis praesertim litteris,ac decretis depromtum, quibus patriae nostrae singulare decus, et Ornamentum Franciscum Salesium S. M. Pontifex Max. Alexander VII. in Beatorum primûm, deinde in Sanctorum numerum retulit. „ Spiritus Sanctus (inquit „ ille prioribus tabulis Bullar. tom. 6. p. 184.) quum in divinis „ Scripturis Viros gloriosos, nimirum Sanctos laudari praecipit, „ eorumque Sapientiam,et laudem narrari a populis,et nuntiari ab „ Ecclesiâ, docet Nos, atque illuminat, quid nostris etiam „ temporibus agere debeamus. Quapropter Apostolicae gubernationis curam, et cogitationes in id sollicite intendimus, ut non „ modo eorum, qui priscis, sed et qui proximis aetati nostrae „ Seculis Sanctitate, ac Virtutibus eximie claruerunt, nomen, et „ gloria ubique gentium innotescat, pioque fidelium cultu, et „ honore palam veneretur. „

Posterioribus vero „ Quae quum ita se habeant, Antecessores nostri Spiritu Sancto instructi laudabilem in Ecclesiâ morem „ induxere, nempe in excelso loco Sanctitatem constituendi, ut „ veluti lumen illius lucis Vicarium, quae de se dixit: Ego sum „ lux mundi, et qui sequitur me, non ambulat in tenebris: non „ sub modio absconditum, sed in candelabro elatum luceat coram hominibus, eosdemque a veneratione ad imitationem viâ „ stratâ ad coelestis,et triumphantis Hierosolymae nunquam interituras delicias dirigat, inferatque. Et sane viros de Christianâ „ Re-

(1) Consulatur, si placet Opusculum gallico Sermone inscriptum; *Discours sur la Divinité de la Religion Chretienne &c.*

„ Republicâ morum Sanctimoniâ, et fidei praedicatione bene „ meritos debitis, hoc est divinis honoribus non prosequi, quic- „ quid sibi velit impietas, indecorum, ac justitiae absonum ha- „ beretur „ . . . . Quibus de caussis, pergit, „ inter nomina Ca- „ tholicae Ecclesiae veneranda Franciscum de Sales Episcopum „ Genevensem, doctrinâ celebrem, sanctitate admirabilem, „ aetatique huic nostrae contra haereses medicamen, praesidium- „ que referre Numine inspirante decrevimus. „

In eamdem Sententiam Benedictus XIV. „ Benignitatem Dei „ nostri, et divitias bonitatis ejus in Servi Dei Alexandri Saulii, „ primûm Aleriae, deinde Papiae Antistitis virtutibus, ac meri- „ tis extollere, et praedicare, non religionis modo debitum es- „ se ducimus officium, sed nihil etiam intelligimus in hâc tem- „ porum conditione esse opportunius, quam ut universis Chri- „ stiñdelibus, et animarum maxime Pastoribus uberiora suppe- „ tant ad imitationem exempla, atque in ejusdem patrocinio, fa- „ ctisque admirandis praesidia ad pacem, tranquillitatem, et „ salutem tam inter Christianos omnes, quam inter eos potissi- „ mûm populos procurandam, quos ab illo per viginti, et ampliûs „ annos non tamquam solius Aleriae Episcopo, sed totius Cor- „ sicae Apostolo olim salutaribus monitis, ac legibus instructos, „ et moribus correctis, extinctis odiis, conciliatis animis, re- „ formatisque Clericis viam mandatorum Dei currere edoctos „ ipsa rerum humanarum, divinarumque perturbatio jam dudum „ inibi exorta a traditâ Sanctissimâ disciplinâ alienos tenet. „ Quo loco fas sit et hoc subjicere, S. Franciscum Salesium, quum de Christianae doctrinae, ac disciplinae institutionibus edendis rogaretur, respondisse, id operis Alexandri Saulii Catechismo sic praestitum esse, ut nil plus in eo genere sibi elaborandum superesset.

20. *ADDIT. AD PAG.* 158. §. Si Johanni &c.

Fallitur, seu potiûs fallere de industriâ more suo velle videtur Launojus, dum generatim enuntiat a Tridentinâ Synodo statutum „ Ut Episcopi *etiam* tamquam Apostolicae Sedis Delegati „ Monasteria quaelibet exemta visitarent, et corrigerent. „ Quasi hâc formulâ non aliud propositum fuerit Tridentinis Patribus,

bus, quam ut ordinariae Episcoporum auctoritati velut cumuli loco Pontificiae auctoritatis robur adjicerent; nec adeo Episcopos decretis illis impediri, quominus jure ordinario, et suo id totum peragere possint, quod *etiam* poterunt jure *Delegationis*, siquidem eo uti placuerit. Fallitur, inquam, aut fallit Launojus. Non enim semper, non ubique Tridentinum, dum de istiusmodi delegatione verba facit, eâ formulâ utitur, quam unam legentium oculis subjicit Launojus. Saepe enim omissâ particulâ *etiam* absolute, ac simpliciter edicit, ac declarat, quid possint Episcopi *tamquam Apostolicae Sedis Delegati*. Si, ex. gr., vocula *etiam* apposita legitur Sess. 21. c.4., deest Sess. 5. c. 1. et 2., Sess. 13. c. 5., Sess. 21. c. 6. &c. An crebram istam formulae commutationem censebimus casu fortuito imprudentibus Tridentinis Patribus excidisse? Quis hoc nisi effreni Launojanâ audaciâ instinctus dicere audeat? Quod si quibuscumque locis adjecta est particula *etiam*, indicio id est, aliquid in Episcopis juris ordinarii Patres agnovisse in eâ re gerendâ, de quâ agitur, profectô aliis locis, quibus consultô praetermissa est, manifeste hoc ipso indicat, id totum Patres non ex ordinario Episcoporum jure, sed ex Apostolicâ Delegatione repetere.

21. *ADDIT. AD PAG. 168. LIN. 8.*

Jacobum Apostolum, Fratrem Domini Ecclesiae Hierosolimitanae velut proprium, ac peculiarem Episcopum praefuisse constat Clementis Alexand., Eusebii, Epiphanii, Chrysostomi testimonio, totiusque pene antiquitatis consensu. Certum porro, Apostolatûs auctoritatem in Jacobo non secus, atque in aliis Apostolis summam in totâ Ecclesiâ nullius alterius Apostoli, praeterquam Petri, auctoritati subjectam fuisse. Itaque si tota illa potestatis amplitudo, quae fuit in Apostolis, in Episcopos tamquam Successores propagata esset, profectô Episcopi, qui Jacobo in Hierosolymitano Episcopatu successere, utpote pari atque Jacobus potestate praediti, non alteri potuissent Episcopo subjici, praeterquam Petri Successori Romano Pontifici. Atqui vel ipsi primi Jacobi Successores in Hierosolymitanâ Sede longe abfuerunt ab eâ potestatis amplitudine. Ait quidem Thomassinus (Part. 1. l. 1. c. 12. n. 5.) „ simillimum veri esse, Judaizantis illius

„ lius Ecclesiae Episcopos primos quindecim circumpositis Ec„ clesiis omnibus imperitasse. „ At primûm quidquid istud juris fuerit, etsi monumento aliquo, non merâ conjecturâ niteretur, non aliud fuit, quam species quaedam Metropolitici juris in subjectas illas Provincias; jus proinde longe inferius illâ summâ potestate, quâ Jacobus in universâ Ecclesiâ potitus fuerat: Deinde tametsi post excisam Hierosolymam Ecclesiastica haec Sedes in Aeliam translata est, non ideo abrupta fuisse, aut interiisse Hierosolymitana putanda est Episcopalis successio. Quippe animadvertit ipsemet Thomassinus n. 4. „ tribus, quatuorve primis „ Saeculis apud Fideles, Scriptoresque Ecclesiasticos summo in „ honore fuisse dignitatem, Sanctitatemque Hierosolymitanae „ Ecclesiae. „ Quod manifesto argumento est, Episcopos, qui Aeliae sederent, semper habitos fuisse Hierosolymitanos Episcopos, utpote quibus honos ille haberetur, quem propter honorem Christi Hierosolymitanae Sedi deberi omnes agnoscerent, ac profiterentur. Quid plura? Quum in promtu sit Nicenae I. Synodi Oecumenicae auctoritas longe gravissima Can. 7. his verbis comprehensa „ Quia consuetudo obtinuit, et antiqua traditio, ut „ Aeliae Episcopus honoretur, habeat consequentiam honoris „ salvâ Metropoli propriâ dignitate. „ Quo decreto manifeste ostendunt Patres Nicaeni, servatam se agnovisse Jacobi successionem in illis Episcopis, qui, quum dirutâ Hierosolymâ Aeliam commigrare coacti fuissent, instauratâ postmodum per Constantinum Hierosolymâ in eam velut propriam Sedem remigrassent. Quod et expressiûs cernitur in Arabicâ horum Canonum versione, seu paraphrasi, quam auctore Christiano Lupo constat saltem Zenonis temporibus anteriorem esse.

At, quamquam in hâc Hierosolymitanâ Sede vigere jam ab initio coepisset, ac propagari Jacobi Successio, nihilominus, ut plane demonstrat idem Christianus Lupus (Schol. in Can. 7. Nicaen.) „ Apostoli Ecclesiasticam Hierarchiam Romanae Rei„ publicae accommodantes (quod quemadmodum intelligendum „ sit, alio loco disseruimus) Palestinae Provinciae Metropolim „ posuere Caesarèam. „ Tamen, ut Sanctae Civitati, ubi Dominus glorificatus, ejusque primo Episcopo Jacobo Apostolo debitus honor servaretur, ei Sedi data est honoris *consequentia*, id est primus locus post Metropolitam, „ ut esset Provinciae illius

E e Pro-

„ Protothronus, plene tamen subjectus Sedi Caesareensi. Hoc-
„ ce (pergit vir idem doctissimus) utriusque Ecclesiae privile-
„ gium confirmat noster Canon, uti liquet ex S. Hieronymo in
„ Epist. adversûs errores Joannis Hierosolymitani Episcopi di-
„ cente, secundum Nicaenos Canones totius Orientis Metropo-
„ lim esse Antiochiam, Palestinae autem Caesarèam, cujus
„ Hierosolyma non sit, nisi Parochia suffraganea. Quod idem
„ tradit S. Epiphanius in Epist. adversûs objecta ejusdem Joan-
„ nis &c. „

Tametsi ergo antiqua traditio, et ex antiquâ traditione Patres Nicaeni constitutam sive Hierosolymae, sive Aeliae, ac velut in unâ, eâdemque Sede continuatam, ac propagatam Jacobi Apostoli successionem agnoscerent, eidemque praecipuum quemdam honorem decernerent, quem Sedis, et loci Sanctitas poscere videbatur, non ideo minùs ab Apostolicis ducta temporibus Metropolitica Caesareae jura in eam subjectam Sedem sarta, tectaque esse voluerunt, novoque solemni decreto confirmanda censuerunt. Redit ergo, et quidem firmius propositum superiùs argumentum: Quae fuit in Jacobo Apostolici muneris propria potestas, nullius alterius Apostoli, praeterquam Supremi Capitis Petri, potestati subjecta esse potuit. Proinde si tota hujusce potestatis amplitudo in Simeonem, aliosque deinceps Jacobi Successores transisset, nec Simeon ipsimet tum etiam superstiti Apostolo Johanni, nec alii ordine subsequentes Hierosolymitani Antistites ulli unquam alterius cujusve Sedis Antistiti subjecti esse potuissent, praeterquam, ut dictum est, Romano Pontifici. Atqui reverâ Caesareensi Metropolitae subjecti fuere. Non ergo in Jacobi Successores permeavit tota illa Apostolicae potestatis amplitudo, quae fuit in Jacobo.

Stat igitur, quod ex antiquâ traditione communi consensu Theologi, canonicique juris Interpretes docent, ac tuentur, quos inter Petrum de Marca, Bossuetium, Thomassinum, Natalem Alexandrum, Scholam ipsam Parisiensem in suis adversûs Spalatensem latis decretis nominatim in *Confutatione* testes, et auctores produximus, stat, inquam, duplicem in Apostolis distinguendam potestatem, unam extraordinariam, quae ipsis extinctis tota in Petri Sedem confluxit; Alteram ordinariam, Episcopatûs propriam in Episcopos tamquam Successores prorogandam.

dam; ut proinde non inventum recentiûs de industriâ confictum, sed ex Ecclesiasticae Hierarchiae primordiis ductum constet, esse commune istud effatum, quod brevi hâc, et accuratâ verborum comprehensione solet efferri: *Apostolis Episcopos in Episcopatu, non in Apostolatu succedere*. Nil igitur ex Apostolicâ istâ successione praesidii sibi comparare possunt Febroniani ad universalem eam potestatem vindicandam, quam a principio in singulis Episcopis viguisse perperam contendunt.

Ad pag. 165. §. Itaque sic &c. Nullis Canonum Decretis limitari posse auctoritatem R. Pontificis, quin ille ipsa *Canonum paternorum* (Conc. Rom. Sub Symmacho) *decreta librare*, *atque*, *ut necessitas temporum exposcit*, *relaxare*, *ac temperare valeat*, pluribus a Thomassino, et Coustantio collectis ex remotiore memoriâ monumentis demonstravimus vol. 1. Confut. pag. 115., et seq.

Ead. pag. lin. antepenult. Huic Sanctioni praeluxerat S. Innocentius I. epist. 2. ad Victricium cap. 3. apud Coustant, ubi *secundum Synodum Nicaenam* coram *Congregatis Provinciae Episcopis* terminandas edicit Clericorum causas, *sine praejudicio tamen R. Ecclesiae, cui in omnibus debet reverentia custodiri*.

Pag. 166. §. Provocat &c. Quam nullum hinc sibi patrocinium arcessat Febronius, quum ex ipsis Comitiorum actis, de quibus heic pag. 207., et latiûs in *Confut.*, tum remotâ omni dubitatione is potuit, ac debuit intelligere ex Constit. *Inter Multiplices* Alexandri VIII.

22. *ADDIT. VLT.*

DE INSCRIPTIONE

Quam bene de se meriti sive Patrui, sive Avunculi monumento Nepotes B. M. Joannis Nicolai de Hontheim adjiciendam curarunt.

Quum prope absoluta esset commissa typis hujusce operis editio, facta nobis copia est inscriptionis istius depromtae *Ex Novellis litterariis Wurtzburgensibus in Appendice Sectionis IX. Sabbatho* 28. *Julii* 1792. *pag.* 595. his verbis: „ Datum Trevi-
„ ris celebri D. Suffraganeo de Hontheim in Ecclesiâ Collegiatâ
„ ad S. Simeonem DD. Nepotum sumtibus sequens Epitaphium
„ positum est „

HIC SANCTE QUIESCIT
JOANNES NICOLAUS AB HONTHEIM
ANTIQUA ET ILLUSTRI TREUIRORUM FAMILIA.
NATUS 27. JANUARII MDCCI.
EPISCOPUS MYRIOPHITANUS
TRIUM ARCHIEPISCOPORUM ELECTORUM TREVIRENSIUM
FRANCISCI GEORGII, JOANNIS PHILIPPI, ET CLEMENTIS WENCESLAI
SUFFRAGANEUS ET IN SPIRITUALIBUS VICARIUS GENERALIS,
CONSILIARIUS INTIMUS STATUS,
ALMÆ UNIVERSITATIS
PRIMO LUMEN, DEIN CANCELLARIUS, RESTITUTOR ET MECOENAS,
COLLEGIATÆ ECCLESIÆ S. SIMEONIS TREVIRIS CANONICUS CAPITULARIS
OLIMQUE DECANUS ET INSTAURATOR,
DOMINUS IN MONTQUINTIN, COUVREUX, ROUVROY ET DAMPICOURS ETC.
VIR
PIETATE, BENEFICENTIA, MORUM CANDORE, SANA DOCTRINA
ET OMNIGENA ERUDITIONE EGREGIUS,
PLURIMIS IISQUE PRÆSTANTISSIMIS OPERIBUS CLARUS.
QUIBUS PRÆCIPUE
PATRIAM TREVIRENSEM PRIMUS PRAGMATICA DONAVIT HISTORIA,
ET IN IMMORTALI SUO FEBRONIO,
QUEM NEC ARGUMENTA CONVELLERUNT, NEC FULMINA,
ECCLESIAM CHRISTI AD PRIMÆVUM REVOCANS STATUM
LEGITIMOS POTESTATI ROMANI PONTIFICIS ASSIGNAVIT LIMITES:
SIC OMNEM
INTER ASSIDUA LITTERARUM STUDIA, ET INDEFESSOS EPISCOPATUS LABORES
VITAM PARTIENS.
CETERUM
MENTIS TRANQUILLITATEM, QUAM ET IN ADVERSIS SERVABAT SEMPER,
RELIQUIS OMNIBUS MUNDI BONIS PRÆFERENS,
ET IN PROVECTISSIMA ETIAM SENECTUTE
CUNCTIS ADHUC ANIMI ET MIRIS ADHUC CORPORIS VIRIBUS POLLENS
TANDEM IN SIBI GRATISSIMO SEMPER MONTIS QUINTINI SECESSU
DIGNAM COELO ANIMAM PLACIDE EFFLAVIT
II. SEPTEMBRIS MDCCLXXXX.
ANNO ÆTATIS LXXXX. EPISCOPATUS XXXXIII.
JAM IN VITA
A CONJUNCTISSIMO IPSI OMNIBUS VINCULIS AMICO,
QUI ET OBSTETRICEM FEBRONIO PRÆBUERAT MANUM,
SEQUENTI CELEBRATUS ELOGIO.
QUOD MARCA EST GALLIS, BELGIS ESPENIUS; HONTHEIM
LUMINE GERMANIS, SORTE, DECORE FUIT.

Quod

Quod insigni monumento Nepotes memoriam honestare cogitarint sui sive Patrui, sive Avunculi amplissimi Antistitis Joannis Nicolai de Hontheim, in eo pietatis officium cum grati animi testificatione conjunctum libens agnosco.

Quod Honthemii nomini ex Febronianâ labe, ac larvâ laudem praecipue quaesierint, in hoc vero prudentiam eorum, et quod majus est, Religionis studium vehementer desidero.

De parte illâ, quâ in gravissimis, quibus Honthemius functus est muneribus, fidem ejus, aequitatem, beneficentiam commendant, sentio mihi esse tacendum, qui partes susceperim in doctrinam, et Scripta, non in vitam inquirendi, moresve Honthemii.

De laude vero, quam ei tribuunt velut Historiae Trevirensis parenti, dispar est ratio: quippe, si qua laus ex illâ Historiâ (quam tamen identidem suis notis velut totidem maculis aspersit) parta est Honthemio, haec tota necesse est vertatur in dedecus, ignominiamque Febronii.

Explicat Honthemius, ac describit (prout suis locis in hocce ipso Commentario notavimus), quae doctrinae, quae disciplinae ratio in amplissimâ suâ Trevirensi Ecclesiâ sub Romanis ab eo tempore viguerit, quo eam Magnus Athanasius viderat, commendabatque „ Apostolicorum *Virorum* ingeniis fundatam, item „ *Sanctam*, atque cum Catholicâ Ecclesiâ *unam*, et consentaneam, *miraculis illustrem*, cum Romanâ Apostolicâ Sede „ *conjunctam*, in Galliâ *primam*, in Belgicâ *Matrem*, & *Magistram*. „

Summa huc redit, quam Honthemius verbis expressit Rhemensis Episcopi ad S. Nicetium Trevirensem: „ Sicut de articu„ lis fidei judicium penes Ecclesiae Patres esse dignoscitur, ita „ et in materiâ disciplinae jus statuendi, et Canones condendi. „

Mentem eamdem, ac Sententiam sub Francis perstitisse perspicue innuit Honthemius testans, „ Congregatos in Synodis Epi„ scopos condidisse Canones auctoritate, et jure suo. „ Nec diffitetur, quin jam tum apud suos recepta esset Sententia *de infallibilitate Summi Pontificis*, eamque *adeo in Gallicanâ Ecclesiâ antiquiorem esse*, *atque nonnullis videri voluit*.

Subinde progrediens ad explicandam Trevirorum Jurisprudentiam sub Germanis, quae, et quanta esset apud Treviros de

Su-

Supremâ auctoritate Summi Pontificis existimatio, declarat Honthemius Egilberti sui testimonio, qui,,, ut ut persequeretur Pa-
,, pam Gregorium VII., tamen memor Canonum scripsit Epi-
,, scopis An. 1082., ferre Sententiam contra Apostolicum non est
,, tutum; immo insanum, et omnino nefarium aliquid audere in
,, illum, qui vice Sancti Petri fungitur legatione ipsius Christi.,,

Hic jam quaero ex Amico laudatore isto, quisquis ille est, qui etiam de Obstetrice manu praestitâ Febronio praepostere gloriatur, num in Febronio eam ipsam recognoscat Sententiarum constantiam, quam in Trevirensium Annalium monumentis Honthemius deprehendit, nec sine commendatione in lucem extulit? Quod si longe aliter sensisse Febronius convincitur sivè de proprio immuni Ecclesiae jure ut in judiciis fidei, sic et in condendis legibus disciplinae, sive de summâ Romani Pontificis auctoritate, atque Auctore Honthemio sensere Patres, per quos vetus Trevirensis Ecclesiae traditio in posteros propagata est, quis non intelligat, si quam laudem, quaecumque tandem ea sit, ex Historiâ Trevirensi Honthemius adeptus est, hujus laudis fructum Honthemio Febronium diripuisse, suâque a Majorum institutis improbâ defectione fictae isti personae, quâ se tegere voluit, perpetuam turpitudinis notam inussisse?

At Febronium, inquit laudator, *nec argumenta convellerunt nec fulmina*. Arroganter, et impie. Non vacat, non hujus est loci argumenta repetere, quae Sapientissimis Viris Febronium refellere adgressis nec defuere unquam, nec deesse potuerunt. Verum aliis missis argumentis, an non apud Catholicae mentis homines valere potuit, ac debuit superiorum aetatum vigens ad haec usque tempora Amplissimi sui Antistitis voce confirmata Trevirensis Ecclesiae traditio, quâ erumpens ex ejus sinu profana novitas probatae vetustatis auctoritate obruta jam ab ortu ipso, penitusque convulsa censeretur?

Quid dicam de impio contemtu fulminum? Quo velut in ultimum desperatae causae perfugium ejicere se solent damnati perduelles non ad effugiendam justae damnationis ignominiam, sed ad suam magis, magisque prodendam in erroris perversitate pertinaciam. Quos tamen non impietatis modo, sed et stultitiae poeniteret suae, si tantummodo reputare vellent, nullam unquam ab omni saeculorum memoriâ doctrinae rationem in Ecclesiâ coaluisse

luisse, quam semel Petri Sedes Apostolico fulmine perstrinxerit.

Laudatur Febronius, quod *Ecclesiam Christi ad primaevum revocans statum legitimos potestati Romani Pontificis assignavit limites*. Plane consueto Novatorum more, et exemplo, quibus id semper insitum fuit, ut procacem novandi licentiam instaurandae antiquitatis studio fictis caussis obtegerent. Sic olim hoc unum agere se dictitarunt Arius, et Nestorius, ut de Trinitate, deque Personâ Christi corruptam doctrinam, Novatiani dilapsam poenitentiae disciplinam in primaevum statum reducerent. Sic deinceps quotquot Seculis labentibus extitere importuni turbatores, qui temere arreptâ emendandae sive doctrinae, sive disciplinae provinciâ Ecclesiam foedê, misereque dilacerarunt.

Sed est, quod mireris magis, adscitum videlicet ab laudatore isto personatum hominem velut Judicem, et Arbitrum regundorum finium Ecclesiasticae potestatis, qui Romano Pontifici legitimos limites assignaverit. Probum enimvero, sapientemque Judicem, et aestimatorem, cui hâc in causâ id unum propositum fuisse, ut Sacratissima Primatûs jura obtereret, affirmare non vereor, quum copiosiûs ab aliis praestantissimis Viris, tum et in hisce animadversionibus invicte, perspicuêque demonstratum esse. Quod ne arrogantiûs a me dictum quisquam existimet, facit ipsa conditio causae, quam sic tractandam suscepi, ut non tam acumen ingenii posceret ad eruendam veritatem, quam in rebus exponendis fidem, ac diligentiam ad repellendam calumniam.

Atqui pietatis etiam caussâ inductum se clamat Febronius ad moderanda Pontificatûs jura, nempe ut offensos Pontificiae Majestatis nimio splendore Protestantium animos placaret, atque ad unitatem, unitatisque centrum planiore viâ reduceret. O admirabilem licentiam, et miserabilem inscientiam disserendi! Haeccine directa via est, haeccine plana, et idonea ratio devios ad unitatem, unitatisque centrum reducendi, quâ vis illa tota solvitur, quae in centro, seu summo vertice unitatis, et capite inest ex instituto Christi, omninoque inesse debet ad partes universas colligendas, in ordine continendas, in unâ corporis compage devinciendas? Sane quum Bossuetium (*a*) inter, et Molanum ageretur *de methodo reunionis Protestantium cum Ecclesiâ Roma-*

(*a*) Edit. Leodien. an. 1767. Tom. 14. pag. 115.

Romano Catholicâ, hoc a primario isto Protestantium Doctore *primum concessum* editum est, „ Ut Romanus Pontifex pro Supre-„ mo Patriarchâ, seu primo totius Ecclesiae Episcopo habeatur, „ eique Protestantes debitum in Spiritalibus obsequium prae-„ stent. „ Quo jam plus quiddam videri possit Romano Pontifici ab hoc *Protestante* concessum, quam placuerit Febronio eidem concedere. Quid porro Clar. Bossuetius? „ Rogo, inquit Ca-„ tholicus Antistes, quale ei (Rom. Pont.) *praestituri sint in* „ *Spiritalibus obsequium, a quo in ipsâ fidei causâ dissentiant?*„ Nimirum illud est, quod urgere ille adversûs Protestantes nunquam destitit, communionem cum Romanâ Sede, quâ Ecclesiae unitas maxime nititur, unius, ejusdemque fidei societate maxime contineri. Hanc porro fidei Societatem cum Romanâ Sede quî omnino tueri Febronius possit, qui ut parum firmam rejicere non vereatur illorum sententiam, *qui a plurimâ parte Episcoporum definitioni Romani Pontificis extra Concilium adhaerentium ultimatum, et irrefragabile judicium constitui existimant*?

Dein advertit Bossuetius, longe praviorem etiam ex illo *primo* Protestantis Doctoris *concesso* difficultatem emergere, nempe *de Primatu Pontificis, et Ecclesiae Romanae*: *An ei tribuatur ut Petri Successori, ac tenenti Cathedram Petri Apostolorum Principis, quod est in Ecclesiâ etiam orientali, primisque Oecumenicis Conciliis pervulgatum? Quod si* (subjungit Clar. Bossuetius) *Protestantes iniquum putaverint, ad illud Divinum jus a se toties oppugnatum recognoscendum adigi, quanto erit iniquius, eo adigi Pontificem, ut ad tantos clamores, atque ad supprimendum longe antiquissimum, ac maxime authenticum Sedis suae privilegium, ac titulum sponte conniveat, neque quidquam hiscat*. Non aliam itaque viam reducendorum ad unitatem Protestantium agnoscebat Bossuetius, quam ut et ipsi cum Ecclesiâ etiam Orientali, cumque primis Oecumenicis Conciliis Primatum in Romanae Sedis Pontifice Divino plane jure constitutum agnoscerent. Quid Febronius? Qui prae Orientali Ecclesiâ, prae ipsismet primis Oecumenicis Conciliis palam ostendit, multo potiores sibi fuisse clamores Protestantium, dum (cap. 2. §. 3.) statuit „ per rationes convenientiae *humanâ auctoritate* Romanae „ Urbis Antistiti sacrum Primatum creditum fuisse; „ nec veretur putidam fabulam refricare depromtam ex Protestante Secken-

ckendorffio, „ eam Saeculo XVI. fuisse constantissimam Senten-
„ tiam Regni Galliae in Articulis Germanis Smalcaldae propositis
„ his verbis expressam : *Sentire Regem Gallorum, jure tantum*
„ *humano, non Divino Romanum Pontificem habere Primatum* „

Perperam Febronius igitur subdolum illud suum ostentat studium unitatis, quo crimen a se repellat violatae Primatûs auctoritatis, quâ velut vinculo Catholica Unitas maxime adstringitur. Futile, immo improbum genus excusationis, quo vitium vitio cumulatur, cujus profecto illum magis etiam pudere debuerat, si aut legisset, aut meminisset, quod multae doctrinae Vir alioquin heterodoxus Georgius Bullus (Judicium Ecclesiae Catholicae de necessitate credendi &c. c. 3, §. 6. Ticini an. 1786.) scripsit *de nuperis tum Samosatenianae, tum Arianae Sectae instauratoribus*, qui „ doctrinam de Christo coëssentiali Dei Fi-
„ lio, adeoque de SSma Trinitate ὁμοουσιῳ, in Ecclesiâ omnino
„ supprimendam esse contendunt, ne scilicet Judaeorum, et
„ Turcarum conversioni impedimento illa ulterius sit: hoc est,
„ volunt nos revera Christianos esse desinere, ut Infideles quo-
„ quo modo Christiani fiant. „

Lusus dein poëticus additur, quo Febronius is fuisse Germanis fingitur, qui fuit Gallis Marca, Espenius Belgis. Ludicrum dictum magis, quam consideratum; nec satis in Gallos, Belgasve honorificum, quasi non omni aetate longe praestantiores Galli, ac Belgae Duces, ac Magistros habuerint, e quorum limpidis fontibus potius, quam e turbidis rivulis mallent colendae Religionis documenta haurire, institutaque disciplinae.

Quamquam nec idipsum satis apposite ad mentem, sententiamque Febronii, qui non ita se addixit Petro de Marca, ut non saepe ab eo deflectere, ac in pejus ruere dubitaverit. Appellationem a Papae Decreto ad futurum Concilium velut novum quid in Ecclesiam inductum dixerat Marca (Concord. l. 4. c. 17. §. 1.) *quia nunquam in Ecclesiâ admissa fuit provocatio a Papa ad Concilium*. Contra Febronius (de Statu Ecclesiae c. 6.) veritus non est hunc §. 10. titulum adscribere : *Legitimitas appellationis a Romano Pontifice ad generale Concilium omnibus Saeculis, et ab omnibus Nationibus in Ecclesiâ agnita fuit*. Quin et hoc ipso Commentario (Pos. 30.) non omittit animadvertere, Illustrissimum de Marca, propterea quod censuerit, appellationes a Papâ

 ad

ad Concilium a vetere disciplinâ alienas esse, hoc nomine vapulasse a Bossueto. Ac revera non in Petro de Marcâ, sed in hoc Bossueto intueri sibi visus est (Posit. 11,) Febronius *Sydus Ecclesiae recentius nunquam a se deserendum*: Cujus Syderis claritatem utinam saltem non a vero Bossuetio in Pseudo-Bossuetium, seu ementitum *Defensionis* Auctorem perperam transtulisset.

Espenius vero, quamquam non semper fidus interpres ejus juris, quod collectis a Gregorio IX., & aliis additis Decretalibus continetur, tamen illud habuit, ac suspexit velut jus legitimâ, ratâque auctoritate constitutum. Quid porro Febronius? Praeclarum nempe se praebet assectatorem Espenii, qui Corpus id juris funditus evertere moliatur, in quo interpretando Espenius aetatem pene consumsit omnem. Etenim in Praemonitu ad librum *de statu Ecclesiae* sic ille *Doctores Theologiae, et Juris Canonici* admonendos censuit: „ In Decretalibus, Extravagan-„ tibus,et Clementinis formam Ecclesiae Monarchicam stabilitam „ esse observarunt eruditi, et a nobis per decursum hujus ope-„ ris demonstratum est. Has Canonum collectiones Grego-„ rius IX., Bonifacius VIII., et Joannes XXII. legum more non „ publicarunt solemniter, sed eas ad Doctores, et Scholares in „ celeberrimâ tum Bononiensi Academiâ degentes direxerunt, ut „ per illos traderentur, per hos vero haurirentur haec Monar-„ chiae Sacrae fundamenta. . . . . . . Atque ita facile, et „ quasi naturaliter evenit, ut per medium eorumdem Doctorum „ juris Canonici, ac dein Theologiae Monarchicus ille status „ tamquam genuinus, et unice verus utique reciperetur, et per „ totum Occidentem stabiliretur. . . . Ego hoc Systema refutare „ aggressus sum . „.

Itane Febronius formam hanc *Status Papalis Monarchici* refutare aggreditur, quem Joannes ipse Gersonius primus ab eo memoratus inter Viros, *probatissimis quorum scriptis Sancta Mater Ecclesia tantum debet*, negari sine notâ haereseos non posse, fuisse a Christo immediate institutum firmiter asseruit; Facultas Parisiensis contra Spalatensem Apostatam suis Decretis confirmavit? Aliunde an compos sui homo, qui se Catholicum Sanctae Matri Ecclesiae addictum professus aggrediatur systema refutare, quod ille ipse fateatur a quatuor saltem saeculis *per totum Occidentem stabilitum*? quasi vero in causâ, quae doctrinam,

ac

ac fidem attingit, invehi quomodocumque potuisset in Ecclesiam, in eâque stabiliri doctrina, quae a superiorum aevorum sententiâ dissideret. Duplex itaque hoc loco peccatum Febronii, utrumque Catholico Viro indignum, sive quod juris jam dudum legitimè constituti ratam auctoritatem convellere aggreditur, sive quod ad eam convellendam talem rationem adhibet, quae in causâ doctrinae inter priora Ecclesiae, posterioraque Saecula dissidium inducit Catholicis auribus minime ferendum.

Nec porro insolens in Febronio videri debet odium hoc Monarchiae in statu hierarchico, qui ei formae minus aequum se praebeat in statu etiam politico. Nam accedens (de Statu Ecclesiae c.1. §.8. num.5.) ad eorum refellendam rationem, qui Monarchiam in Ecclesiâ hoc etiam nomine defendunt, quod par sit existimare, Christum, quum perfectissimam Societatem institueret, perfectissimam in eâ regiminis formam constituisse, primùm hoc ipsum in dubium vocat, *Monarchicum statum reliquis esse perfectiorem*. Deinde addit, hoc esse hujus formae proprium, *quod facile solet in despotismum declinare*. Quod si vitiosum genere suo id omne est, quod facile solet in vitium declinare, vitiosam dicat, oportet, suâpte naturâ Monarchiam quisquis amet sequi Febronium. Falsum crimen; contumeliosum in eam regiminis formam, cujus legitima constitutio abest a despotismo quam plurimum. Crimen invidiosum, quo nullum aptius ad incitandos imperitae multitudinis animos, inflammandumque odium, quo caeco interdum furore abrepta effervescit in Summos Imperantes, quibus velut sublimioribus Potestatibus Dei ordinatione constitutis debito etiam Religionis officio obsequentes praebere se debent quotquot illorum imperio reguntur. Quo etiam intelligi potest, quanto in errore versentur, qui adeo faciles aures Febronianis istis præbere solent, putantque, tantumdem firmitatis accedere Potestati Civili, quantum per istos de Sacrorum jure detrahitur.

Nec magis favet Febronius Imperio mere Aristocratico, quod ait, *semen esse discordiarum*, ut proinde omni ex parte hoc loco Marcam suum deserat, qui Monarchiam in Ecclesiâ cum aliquâ quidem commistione Aristocratiae, veram tamen Monarchiam agnoscit (concord. l.2. c.16. n.6.) (a)

(a) De hâc Aristocratiae admistione supra dictum est (ad Posit.1.), ubi eam vidimus tum a V. Bellarmino, tum et in egregiis notis ad Hist. Nat.

Quod si removenda Monarchia, cujus vel nomen ipsum horret Febronius in Ecclesiastico saltem regimine; si nec ipsum placet Aristocraticum regimen, (quale tamen reapse viget in omni bene constitutâ Democratiâ, ubi semper multo major pars incolarum expers prorsus est publicae administrationis, et auctoritatis), quid aliud remanet, quam absona illa anarchici statûs forma, seu perversio, quâ summa rerum ad ultimûm summâ potestate revolvitur ad plebem? cujus vis quam facile incitatur, quas semel incitata, quam exitiales turbas, ac ruinas edat quum in Sacrâ, tum et in civili politiâ, non est quod dicam; res ipsa clamat.

Nunc ut ad laudatorem propius redeam, utinam non ei placuisset in sui Febronii laudibus candorem animi cum perpetuâ pacatae mentis tranquillitate conjungere! Non me causa cogeret dicere, quae libens reticuissem. In illo suo Praemonitu Febronius, quo loco *Episcopos Ecclesiae Catholicae* alloquitur, post exposita mala, quae ex *rigore, et inflexibilitate Romanae Aulae praetensa, et immodica sua jura sustinendi* in ipsam Romanam Sedem, universamque Ecclesiam redundasse comminiscitur, universos Episcopos Episcopus ipse graviter, ac severe monet, atque hortatur, ut officii sui memores laboranti Ecclesiae hâc in parte consulant, ac succurrant: „ Vestrûm, si id alii serio, „ et cum effectu praestare omittant, erit illud agere, atque „ eniti, ut Ordini vestro restituantur jura illa ex Christi placi- „ to, ac vero jure sacro propria .... Timor in Episcopos suo „ fungentes Apostolico munere non cadit, aut saltem cadere „ non debet .... Deplorandum sane foret, et vestro Characte- „ re indignum, si qui ex vobis propter spem transitoriam ve- „ strae, vestrorumque fortunae sibi vellent adsciscere illud vae „ mutorum non valentium latrare ... Itaque uno spiritu, et con-

Nat. Alexandri sic explicatam, ut nil de summâ, & absolutâ Monarchiae vi, ac ratione detrahat, quâ pollet Romanus Pontifex in universâ Ecclesiâ. Verum, quum non pauci ex infestâ Novatorum turbâ, et colluvie postmodum emerserint, qui vocis illius ambiguitatem in alienum plane ac depravatum sensum deflecterent, ita sapientissimi posthac viri (ut 2. addit. notavimus) hanc merito deserendam formulam censuere, quae minus cautis errandi periculum afferret, quorum nos judicio, ac sententiae libentissime subscribimus.

„ consociatis viribus vestram, Ecclesiae, et Dei causam suscipite; et evanescet omnis, si quae adhuc superesse posset etiam „ vana metuendi ratio. „

Hic jam prodet se candor ille animi, ac pacatæ mentis invicta tranquillitas, et constantia Febronii. Causam hanc praeclaram agere ille susceperat. Quo fructu, quo exitu, quam ille sui laboris, et industriae opinionem sibi finxerit, amplissime testatum reliquit in illo suo Praemonitu ad Doctores Theologiae, et Juris Canonici. „ Prius, *inquit*, totam compagem Operis „ legite iterum atque iterum; et Historiâ Ecclesiae praesertim „ Conciliari simul adhibitâ deprehendetis, si aequo animo esse „ volueritis, nec ad legendum cum immaturo proposito refutandi accedere, quod nostra haec Ecclesiastici regiminis ratio non „ tantum sit vera, sancta, et Catholice genuina, sed etiam „ sanctae, quam colo, amo, veneror, Sedi prae Monarchismo „ salubrior. „

Praetereo dicere, quam odiosum sit, quam ab ingenuo animi candore alienum odium ipsum, seu aversum, infestumque animum velle obtegere simulatione benevolentiae. Propero ad factum Febronii. Vix edito illo *de Statu Ecclesiae libro singulari* sub nomine Justini Febronii an. 1763. Bullioni apud Guillelmum Evrardi, illico subortus rumor, atque in dies increbrescens verum libri auctorem Honthemium nuntiavit sub ficto illo nomine latere. Nullâ ille interpositâ morâ illo eodem anno 1763. quum in aliis, tum praecipue in Coloniensi Ephemeride n. 87. monitum inserendum curavit, quo insigni mendacio se negavit auctorem operis. Egregium enim vero Evangelicae simplicitatis documentum! Sic Episcopus aut erubuit, aut timuit Auctorem se profiteri formae illius Ecclesiastici Regiminis, quam *veram*, quam *sanctam*, quam *genuine Catholicam*, quâ unâ laboranti Ecclesiae consuli, ac succurri posse declaraverat? Sic ille Apostolicum illud invictum robur animi praestitit, quod velut Episcopalis muneris praecipuum officium universis Christiani Orbis Episcopis commendavit, ac praecepit? Sic personâ suâ non indignum putavit os mutum sibi adsciscere canis apertâ fronte latrare non valentis?

Quem porro ex opere illo placidae tranquillitatis fructum retulerit, atque ad exitum usque vitae perduxerit, conjectura capi pote-

poterit ex documento Germanicis typis edito, cujus exemplum subjicimus.

DISPOSITIO

Reverendissimi, et Illustrissimi Domini Domini

JOANNIS NICOLAI AB HONTHEIM

Episcopi Myriophitani, Suffraganei Trevirensis.

Die secundâ Septembris 1790. *pie in Domino defuncti propriâ ejus manu scripta, subscripta, et sigillo suo munita tenoris*

NOLO equidem, ut post meum obitum quidquam in meam laudem publicetur; neque enim ad id ulla suppetit materia. Verumtamen, quum variis titulis, atque scriptis hoc in mundo apparuerim, de quibus diversa a diversis Judicia prodiisse non ignoro; atque Episcopum omnino deceat hoc saeculum non relinquere sine testimonio probatae fidei, hinc ejus loco post meum ex hâc vitâ decessum publicari cupio Epistolam a Reverendissimo, et Celsissimo S. R. J. Principe Abbate divi Blasii in nigrâ Sylvâ Viro notorie doctissimo, et religiosissimo ad me die decimâ decurrentis Mensis amice exaratam. Dabam Treviris 25. Februarii 1788.

L. S.

Joannes Nicolaus ab Hontheim Episcopus Myriophitanus
Suffraganeus Trevirensis manu propriâ

Extremâ Epistolae parte, quae sola facit ad rem, Celsissimus Abbas admonito Honthemio de quâdam lucubratione suâ satis amplâ proxime praelo submittendâ inscriptâ: *Ecclesia militans Regnum Christi*: niti hanc subjicit „ iis principiis, quae, „ *inquit*, in Commentario in Retractationem tuam statuisti, „ qui Senectuti tuae tranquillitatem reddit, quâ diutissime frue„ re. „ (a)

Multa

(a) Hujus Epistolae summam referunt etiam Clarissimi Auctores *Ephemer. Eccl. Rom.* Supplem. an. 1792. Tom. IV. Cod. 1. p. 89. quo loco praeclarum Celsissimi Abbatis Opus magno Ecclesiae bono postea editum meritis laudibus extollunt, adduntque in Februniano Commentario nil amplius desiderandum fuisse, quam ut cum principiis in opere illo luculenter expositis plane consentiret. Quo sane nullus jam ambigendi locus relinquitur,

quin

Multa in Proœmio notavimus immania errorum capita in actis Retractationis reprobata, quaeque jure ac meritò fuisse reprobanda confirmat Honthemius in subjecto Suae Retractationi Commentario, tametsi non paucis adhuc, nec levibus maculis consperso. Quam ergo *pro testimonio probatae suae fidei* ad hanc Epistolam se refert Honthemius *post suum ex hâc vitâ decessum publicandam*, hoc jam saltem ostendit, se illa ex animo repudiasse immania capita errorum, quae suae Retractationi subjecerat, quibus totus refertus est *singularis liber de statu Ecclesiae*. Non ergo in eo libro, non in eâ formâ, quam tum sibi finxerat Ecclesiastici regiminis conquiescendum sibi putavit Honthemius, nec in eâ placide conquiescens *animam efflavit*.

Quo etiam mirabilius videri debet, hominem, qui se ostentat consiliorum Honthemii participem, Honthemio laudem, gloriam sibi quaesivisse ex obstetrice manu praestitâ ei libro, cujus, quum ederetur, Honthemium ipsum piguit, aut puduit auctorem se fateri; cujus dein editi sic eum poenituit, ut illum deliberato consilio publicâ retractatione reprobandum sibi censuerit; morti vero proximus ad eum se Commentarium retulerit, quo fatetur, vehementer se in primo illo scribendo libro errasse, suumque id novum opus Apostolicae Sedis judicio, ac Sententiae ita subjicit, ut ad errata, quaecumque adhuc irrepsissent, ex praescripto Summi Pontificis emendanda paratum se, ac promtum obsequentissimo animo profitetur.

Certe homini recogitanti, quam nefario se scelere obstringat quisquis inconsutilem Christi tunicam, unitatem videlicet Ecclesiae discindere moliatur; Petram concutere, quam Ecclesiae suae firmissimum fundamentum Christus constituit; Oves, quas pascendas Petro commisit, a Petri pascuis in aliena pascua tradu-

---

quin Cl. Præsul non Religionis minùs, quam doctrinae laude spectatissimus, dum ad extremum Epistolae *principia* memorat Febroniani Commentarii, ad illa tantummodo respexerit pleraque Positionum capita, quae proprio nomine *principia* dici possunt, quibus illustrandis, confirmandisve multam ac sane probandam Febronius visus est operam navasse, minime vero ad subjectas inanes commentitias exceptiones, quas videtur velut totidem de industriâ quaesita effugia patere sibi voluisse, ut quandocumque libuisset, elabi valeret, *principiisque* ipsis rite a se positis velut per latentes rimas sese furtive subducere.

ducere, is, quisquis est, si miserante Deo non sinitur penitus in funestâ illâ tranquillitate obdurescere, quâ Deo vindice plectuntur interdum, qui laetantur, quum male fecerint; si excitante gratiâ conscientiae stimulis agitatus veram sibi pacem animi reddi cupit, ac precatur, non aliunde oboriri haec potest, quam ex malefacti poenitentiâ, synceroque animo recounciliandae gratiae, colendaeque unitatis, et concordiae cum eâ Cathedrâ unitatis origine, super quam Ecclesia aedificata est, quam qui deserit, frustra se in Ecclesiâ esse confidit. Nemini certe magis cordi esse debuit, quam Trevirensi Suffraganco puram, integramque servare Trevirorum antiquam traditionem a SSmis Viris retentam, ac propagatam, solemni Synodali totius pene Germaniae Decreto confirmatam, ab Inclytae Germanicae Nationis Apostolo Bonifacio his litteris ad Cudbertum Archiepiscopum promulgatam (Labb. Tom. 8. Edit. Ven. Col. 281.) „ Decrevimus autem in nostro Sy„ nodali Conventu, et confessi sumus fidem Catholicam, et uni„ tatem, et subjectionem Romanae Ecclesiae fine tenus vitae „ nostrae velle servare; Sancto Petro, et Vicario ejus velle „ subjici „.

Hanc debitam, Divino mandato praeceptam, et institutam subjectionem amantissimo Patri PIO SEXTO Honthemius in suae Retractationis actu spopondit: hanc et in posteriore Commentario, maxime vero in adjectâ Epistolâ pleniûs confirmavit; Quo major ex miserentis Dei bonitate spes affulget, hâc illum piâ, devotâque mente praeditum in complexu Petri, sanctoque pacis osculo animam efflavisse.

Ex his plane poterit quisque intelligere, quam bene amicus iste laudator de Honthemio meritus sit; quam bene amici nomini, memoriae, honori consuluerit, qui laudis Honthemio impertiendae argumentum, et materiam maluerit ex reprobando, reprobatoque malefacto potiûs, quam ex laudabili malefacti, meritòque laudatâ poenitentiâ repetere.

FINIS.

INDEX
RERUM PRAECIPUARUM

NUMERUS INNUIT PAGINAS.

BAL.

CAES.

DAM.

DAM.

ECCL.

FEBR.

GAL.

HIL.

JAN.

NAT.

PEL.

REG.

VIC.

ERRATA SIC CORRIGE

ERRATA	CORRIGE
Pag. 39. *lin.* 30. Aricio	S. Siricio
Pag. 55. *lin.* 4. lib. 8.	lib. 7.
Pag. 125. *lin.* 17. Ephesinae	Ephesini
Pag. 175. *lin.* 1. Tom. 2. pag. 861.	Tom. 3. pag. 909.
Pag. 189. *lin.* 25. dedit, principaliter eas	dedit principaliter, eas
Pag. 226. *lin. penult* solvitur. *Dein Adde*:	Quo unitas Catholica constringitur, et ad Charitatem velut terminum refertur.